APOLOGETICVS LIBER

ANTONII GALLONII

CONGREGATIONIS ORATORII

PRESBYTERI

PRO ASSERTIS IN ANNAL. ECCLES.

DE MONACHATV S. GREGORII PAPAE

Aduersus

D. CONSTANTINVM BELLOTTVM

MONACHVM CASSINATEM

Cui accedit Responsio de ijsdem ad alium eiusdem Ordinis monachum.





ΔΗΛΟΣ · ΝΙΚΗ·



ROMAE, Ex Typographia Vaticana,

M DCIIII.

SVPERIORVM CONCESSIONE

SANCTISS.^MO^ DOMINO NOSTRO

CLEMENTI PAPAE VIII.

ANTONII GALLONII Congregationis Oratorij in Vrbe Presbyteri gratiarum actio.



PLVRIMAS, easdemq. immortales, Beatissime Pater, tibi gratias agimus, quod veri amantissimus, nec ad momentum passus sis exultare mẽdacium, qui oblatum tuæ Sanctitati librum, glorioso, sed mendace huiusmodi titulo decoratum, GREGORIVS MAGNVS INSTITVTO SANCTISS. P. BENEDICTI RESTITVTVS, ita insultantem nequaquam progredi, nisi censura æqua castigatum permiseris; sed edendum tantisper vetueris, donec a nobis recognitum, si esset inuentus acceptatione dignus, exoscularemur eum; sin minus, aduersarijs scriptis per Apologeticum confutaremus. Quod abs te factum summo iure, negari non potest, vt simul causam vterque suam prosecuturus, accusator & reus, vna eademq. die se sisterent coram iudice, qui simul vtrumque audiens, cuius sint iura potiora, decerneret. In cuius agone certaminis, si ipsum Cardinalem Baronium, cuius interest, adesse non videt; sciat Beatitudo vestra, eum detineri grauioribus negotijs occupatum, laboriosa nimirum editione vndecimi Annalium Tomi. Sed quod magis puto verum, a certamine sese modestiæ causa subdu-

xit, ne amplissima dignitate præeminens, si descendisset in campum, auctoritate potius quam veritate videri posset vincere voluisse. Consulto igitur rem per nos agi magis placuit, qui eiusdem domus, vnde ipse est progressus, alumni, & ijsdem litterarum studijs assueti, huiuscemodi suscepimus haud inuiti, sed summa alacritate prouinciam, eo quod a nostra parte stare senserimus veritatem. Quid tandem in his scribendis paucis hisce diebus præstiterimus, virorum eiusdem facultatis doctissimorum sit iudicium. Interim vero te ipsum, Beatissime Pater, ex Apostolico tibi diuinitus munere impertito, custodem veritatis, & vindicem imploramus, & protectorem. Vale.



R. P.

R. P. DOMNO CONSTANTINO BELLOTTO MONACHO CONGREGATIONIS CASSINENSIS, PRAEPOSITO S. MICHAELIS A THELIORE.

ANTONIVS GALLONIVS Presbyter Congregationis Oratorij, ſpiritum veritatis.



I cœpero ab ipſo titulo, Conſtantine, tuum diſcutere librum, plane inuenio, de te dici poſſe, quod cecineris triumphum ante victoriam, confiſus nimirum te vinci non poſſe, quem tot auctorum, quos ante ipſum exordium operis oſtentans enumeraſti, turba circumdet. Poterit apparatus iſte tuus perterrefacere puſillo animo homines, vt olim numeroſus exercitus Regis Syriæ famulum [a] Eliſæi, ſed vnus omnes tunc valuit cæcitate percuſſos captiuos ducere in triumphum. Aſtat pro nobis (certo ſcias) inſtar Eliſæi, Gregorius Magnus, qui omnes iſtos tuos arguat cæcitatis, conuincat erroris. Vnus hic nobis pro omnibus, qui omnes ſuperet auctoritate, quod ei ſoli de ſe ipſo teſtanti magis credere iure debeant veritatis quique cultores, quam mille alijs diuerſa ab eo ſcribentibus, qui poſt plura ſæcula vixerint. hæc occaſione glorioſi tituli tui libri dicta ſunto.

a 4.Reg.6.

Cum vero ab operis inſcriptione deſcendo ad liminarem epiſtolam, eamdemq. nuncupatoriam, datam ſanctiſſimo Domino noſtro Papæ Clementi; ſtatim occurrit quod ſit correctione maxime dignum, dum S. Benedictum nominas omnium monachorum parentem: quia ne dicere poſſis, omnium, Orientales aduerſantur monachi, qui alijs ſe parentibus ortos, Antonio, Pachomio, atque Baſilio gloriantur, cuius ſe eſſe filium idem ſanctiſſimus Benedictus in ſuis Regulis profitetur. Sed vt nec poſſis referre, quod dicis, ad omnes Occidetales monachos; repugnant ij, quos S. Ambroſius, Hilarius, Martinus, Caſſianus, Honoratus, Cæſarius, & alij inſtituiſſe reperiuntur in Gallijs: vt dicere prætermittamus de monachis Hiſpanis & Africanis, ijs videlicet, qui ante S. Benedictum excoluere vitam monaſticam: quorum ipſe nullo modo dici pater poſſit & auctor, quorum ingens fuiſſe numerus reperitur. Adeo vt lacinioſa laudatio iſta tua ſit veritatis fibula conſtringenda, contrahendaque, & ſuis limitibus coarctanda; nimirum vt S. Benedictus pater dici debeat monachorum, illorum

dum-

dumtaxat, qui sub ipsius Regulę instituto monasticam vitam exercuerunt. De ijs autem, qui eodem titulo vsi dicuntur, dicendum erit inferius, cum Zachariæ Papæ priuilegium, ex quo ista hauserunt, perspicua luce ostendemus esse omnino adulterinum.

Occurrit post hæc nobis præfixum abs te tuo operi argumentum. De quo antequam incipiam aliquid dicere, & reliqua prosequi, atque campum ingredi disputationis amplissimæ; te ipsum monitum velim, vt cum euenerit nos de rebus S. Gregorij sententia discrepare, charitas tamen Christiana inter nos integra perseueret in vinculo pacis, etiam si disputationis impetu (vt assolet) alterum nostrum contingat aliquando ferri licentius trans fines illos, quos præscripsisset sibi seruandos; cum alioqui esse soleant etiam & vulnera illata ab amico proficua. Ceterum quod Apo-
a 2.Tim.2. stolus moneat: [a] Noli contendere verbis; ad nihil enim est vtile, nisi ad subuersionem audientium,] haud in animo est te sic sequi per longissimos & sinuosos illos tuorum dialogorum anfractus, vt obuiantia friuola redarguam, sed cominus pede collato conferens manum, in ea, quæ noscuntur maioris esse momenti, consurgam; infringam vero ea potissimum, quibus impugnasse falso inueniris Annales Ecclesiasticos: vt sic eos omnes, in quos es illapsus errores, corrigere possis, in primis vero calumnias, atque etiam falsitates enormes, quibus tua ipsa scripta conuincētur esse referta.

Vt autem, Lector, omnia, de quibus est controuersia, eadem singula facillime intelligere possis; hic ea verbatim, prout in Annalibus scripta sunt, reddenda putamus. Ac primum Baronius res gestas S. Gregorij ab eius
b Annal. tom. 7. anno 581. præfectura Vrbana sic incipit: [b] Hoc eodē anno Christi DLXXXI. & Pelagij Papæ Secundi anno quarto, & Iustini Iunioris Imperatoris anno decimosexto, Laurentius Iunior post Frontonem creatur Episcopus Mediolanensis ecclesiæ; moxq. ad Pelagium Papam, vt in communionem Catholicam reciperetur, scripsit libellum, quem, Cautionem, Gregorius Papa appellat, qua se auersari schismaticos, & in causa Trium Capitulorum Romanæ inhærere Ecclesiæ profitebatur. Cui quidem libello cum complures nobiles Senatores subscripserint; etiam Gregorius, qui postea fuit Romanus Pontifex, cum hoc tempore Vrbanam gereret præfecturam, suum apposuit chirographum, vt ipse testatur in epistola ad Laurentij successorem Constantium. Subscripsere autem ipsi Senatores, idemq. præfectus Vrbis Gregorius tamquam fideiussores Laurentij ipsius Mediolanensis Episcopi. ex quo intelligas, cur idem Gregorius ipsum Laurentij libellum fidei nominet Cautionem. Cum igitur hæc ipsius Gregorij Papæ testificatione adeo manifesta sint: vides quam longe ab historica veritate aberret Ioannes diaconus, dum in vita S. Gregorij Papæ tradit, ab eodem, qui scilicet Pelagium præcessit, Benedicto Papa ipsum Gregorium ex monacho, inuitum licet & renitentem creatum fuisse diaconum Cardinalem S. R. E. Insuper, quod antequam hoc Benedictus Papa aggrederetur, ipsum adhuc monachum Gregorium miserit in Britanniam insulam ad conuersionem gentis Anglorum, sed tumultuantibus ciuibus ab eodem reuocatum, & inter diaconos cooptatum. hæc quidem Ioānes diaconus tradit, sed quam fabu-

fabulose, tu ex modo citatis eiusdem Gregorij scriptis iudex eris. Aggressuri itaque iam nos ordine temporum res mirifice gestas eiusdem S. Gregorij recensere; quoniam continget interdum a Ioannis diaconi, qui vitam eius scripsit, sententia discrepare: hoc ne nimium audax alicui videri possit, cum auctor absque reprehensione hactenus lectus fuerit: hic primum de ipsius auctoris tempore, quo scripsit, paucis agendum putamus. Cum igitur ipse in eadem scriptione meminerit Leonis IIII. Nicolai, atque Hadriani Romanorum Pontificum, inscribatq. opus illud ad Ioannem Romanum Pontificem eius nominis Octauum ordine, qui sedere cœpit anno Domini octingentesimo septuagesimosecundo: iam liquet, post hæc trecentis ferme annis eos libros elaborasse.] & inferius: Sic igitur haud quisque prudens in verba auctoris dixerit esse iurandum, qui post annos (vt dixi) ferme trecentos ea de S. Gregorio scriptorum monumentis posteris commendauit: cum alioqui etiam, si eodem tempore cum S. Gregorio ille vixisset, a perspicua veritate refelli siue ipse, siue alius, minime refugere iure possit; eoq. magis, si ex ipsiusmet Gregorij scriptis auctor redarguendus erit] hæc Baronius in Annalibus.

Tu vero, Constantine, hinc sumens tuorum dialogorum exordium, totus in eo versaris, vt Ioannis diaconi auctoritatem reddas irrefragabilem, sicq. ab argumento trium tuorum colloquiorum, quod operi præfixisti, iam incipiens, totus verseris in laude ipsius Ioannis diaconi. Inde vero acerrime in eos inueheris, qui hac nostra ętate in nonnullis aliter sentiant, quam ipse scripserit, & certe quidem, etsi non expresso nomine, perstringere te tantum Cardinalem Baronium multipliciter inueniris. sed toleranda tamen ista, atque dissimulanda. Quod vero inferius de Ioanne diacono longissimam [a] disputationem intexens, eo demum rem ipsam perducis, vt ipsum Ioannem (dictu mirandum, sed execrandum) quintum constituas Euangelistam; quid dicam, nisi poeticum illud: [a] Pag 29. vsque 47.

Spectatum admissi risum teneatis amici?] Orat. art. poet.

Arguar calumniator, & calumniantium plectar pœnis, causa cadam, nisi hoc ipsum Lectori aperta luce inspiciendum, ac manibus contrectandum ostendam. Vbi enim plurima de Ioanne ipso summe exaggerans intulisti, quod Ioannis Papæ iussu scripserit vitam sancti Gregorij, eamq. ex Apostolicæ Sedis scrinio in primis acceperit, scriptamq. idem Pontifex comprobauerit: ex tali tantaq. assumptione conclusionem eam deducis, quam cum mea sententia minime esse Catholicam existimarim; qualis tamen sit illa, supremo Tribunali, cui præsidet ille qui clauum tenet & claues, ipse Romanæ Ecclesiæ Pontifex, relinquimus examinandam. Quænam sit ista, velim, Lector, ex verbis eius accipias, quæ in primo colloquio habet. sunt hæc ipsa [b] ad apicem vsque fidelissime reddita: Frustra igitur illos niteris refellere, cum eos probauerit Ecclesia. Aut ergo Ioannem ipsum cum scrinio Apostolico, & Scriptoribus illis, quos auctores habuit operis sui, immo Ecclesiam Romanam, quæ eius scripta (vt audisti) approbauit, & publicari præcepit, & ecclesijs legenda tradidit, recipies: aut certiores auctores ipsa Ecclesia proferes. Quod cum [b] Pag. 37. vers. 15.

facere

facere non poteris (haud enim fieri poteft) velis,nolis,cogeris Ioannis au-ctoritatem, quin potius ipfius Ecclefiæ Romanæ illis tuis recentiffimis Scriptoribus præferre.]

His quidem id tu niteris, Conftantine, vt aftruere velis, quod omnis liber, quem Ecclefia Romana probauit, & legendum conceffit, eumdem ipfum quilibet, velit, nolit (vt ais) in omnibus recipere teneatur, vt in nullo ab ipfo debeat difcrepare. Sed hoc tantum effe priuilegium facrorum librorum, quos Ecclefia canonicos comprobauit, quis nefcit? Ad eamdem vero regulam omnes ab Ecclefia probatos libros aptare velle, quantum piaculum? Indulgendus tibi forte hic error effet,quod calore difputationis(vt affolet) impetuq. concitatus,nefciens terminos fis tranfgreffus; nifi hæc eadem tu ipfe,per eamdem lineam deducens ferram,fæpe & fortius repetijffes, atque conftanter affirmaffes. nam & hæc tu ipfe inferius: [a] Cum Ecclefia Romana, quæ femper fuit magiftra veritatis tradendæ & tenendæ, comprobauerit, & fua auctoritate publicauerit fcripta Ioannis, & ideo vera effe credantur: non quia indubitanter credendum effe Ioanni exiftimemus; fed quia certo tenemus ea, quæ approbauit Ecclefia effe vera.] & paulo poft: Quare cum Ecclefia probauerit, quæ Ioannes memoriæ tradidit de tanto viro; iam nō licet aliter fentire,quam ipfa fentit.] & rurfum: Nos enim confueuimus eam amplecti veritatem, quam prædicat & profitetur ipfa Romana Ecclefia, vtpote ore vafis electionis laudatam, perpetua Pontificum fucceffione firmatam,fanguine tot fanctorum Martyrum configna tam, doctiffimorum virorum vniuerfi orbis fcriptis celebratam, & vfque ad hæc noftra tempora protenfam & feruatam. Hanc itaque tenemus, & pro hac vitam millies in die, fi fieri poffet, & neceffitas exigeret, profundere parati fumus. cum certo fciamus extra hanc falutem non dari. Licet igitur Angelus de cælo aliter nobis euangelizaret, quam ipfa his ferme mille annis de Gregorio nos docuit: nequaquam tamen ab eo, quod ipfa approbauit, recedendum effe ducimus: Neque enim eft alia domus, in qua liceat agnum comedere, quam hæc ipfa Ecclefia Romana.]

[a] pag. 39. verf. 27. & vlt. pag. 40.

Audifti, Lector, quo altitudinis & eminentiæ prouexerit ifte Ioannis diaconi fcripta de fancto Gregorio Papa: vt eius fententia ab illis recedere nefas fit, etiam fi Angelus de cælo aliter annuntiauerit: ac fi fidei decreta effent cuncta quæ ille fcripfit, quæ non liceat cuiquam non credere,non tenere; vt iam eius fententia,nouum Euangelium fecundum Ioannem diaconum appareat ab Ecclefia receptum. Quis ifta crederet à viro Catholico afferi potuiffe, nifi ipfa eius verba fcriptis configna ta docerent? fed adhuc, Lector, audi, quam fixus perfiftat, figatq. pedes in ifta fententia. fubijcit inferius hæc: [b] Ecclefia comprobauit quod confcripfit Ioannes: & certe credi debet, non quia illud fcribit Ioannes, fed quia id comprobauit Ecclefia. At videri nolle credere,quod fide dignum decreuit Ecclefia, immo contrarium afferere,quid illud fit, me tacente, pij auditores intelligunt.] Perfpicis ne,Lector,quid fentiat Conftantinus? nempe non recte credere quod credit Ecclefia,qui non credit,quod fcribit

[b] pag. 44. verf. 13.

Ioannes ipse in vita S. Gregorij, quam dicit ab Ecclesia comprobatam. Vt plane, licet præ verecundia non expresserit, veritus in Baronio amplissimam Cardinalatus dignitatem, pro conscientia tamen sua ex deductis in consequentiam, demonstrare quidem voluerit hæreticum esse ob eam causam, quod non receperit omnia, quæ a Ioanne scripta sunt in vita Gregorij, quam dicit ab Ecclesia comprobatam. Quid ad ista Baronius? dices. Risit, hominis inscitiam admiratus, qui in ipso disputationis ingressu sic grauiter lapsus sit. Vt ex his, qualia esse possent, quæ ab ipso subduntur toto ipso suorum dialogorum cursu, haud falsus coniector extiterit.

Sed adhuc tu, Lector, audi, quæ paulo inferius, persistēs in sentētia, dicat; nempe esse impiū recedere ab eiusdē Ioannis sentētia, in his quæ de S. Gregorio scripsit. ait enim de Ioanne & alijs, qui sunt eum secuti: [a] Tantorū vero virorum sententiam damnasse, immo Ecclesiæ, quam impium videri possit, nemo nisi qui sensu caret, ignorat.] & inferius perstans solidius in stultitia huius erroris, subijcit ista verba: [b] Si non admittis quæ scilicet Ioannes diaconus scripsit: liquido constat, te non probare quæ comprobauit Ecclesia: & sic certi sumus, quo pede claudices, cum te adeo obfirmatum in tua suspicione ostendas, vt ea te liberari penitus nolle videaris. Quo fit, vt nec Ecclesiæ credere te velle innuas, quam tamen tanti facere existimaris.] En tu ipse vides, Lector, quam non Baronio probe noto, sed sibi potius irroget ignominiā monachus iste, curandus helleboro, seu potius virga vel alapa [c] Benedicti, & qualē inuret notā Congregationi Cassinensi, quæ credatur doctiorem elegisse monachum ad refellendas Baronij de S. Gregorij monachatu sententiam. Siccine, venerandi patres, librum haud diligentius cognitum, in omnium vestrum dedecus prodire siuistis?

a pag. 45. vers. 5.
b pag 46. vers. 20.
c Greg dial. lib 2. c. 16. & 30.

At docendus tu, Constātine (ad te in primis scribimus ista) docēdus inquam fuisses, qua distinctione ipsa dicatur sancta Romana Ecclesia probare libros. Non enim (vt putas) omnes, quos Ecclesia probat libros, eos firmissimæ esse vult auctoritatis, vt sunt Hagiographa, ipsa videlicet sacra Scriptura, quæ ex libris constat, quos Canonicos appellamus; quorum dumtaxat illud est priuilegium, vt salua Fide Catholica, nihil ex ijs, quæ ibi sunt scripta, in dubitationem liceat reuocare; ceterorum autem receptorum ab Ecclesia librorum secus, etiam si ipsorum sint præcipuorum Ecclesiæ magistrorum, quos præ dignitate nominamus Doctores Ecclesiæ, vt Augustini, Hieronymi, Ambrosij, atque Gregorij. nam audi quod de se ipso S. Augustinus [d] scribat in prologo tertij libri de Trinitate: Noli meis litteris, quasi Canonicis Scripturis, inseruire; sed in illis & quod non credebas, cum inueneris, incunctanter crede. In nostris autem quod certum non habeas, nisi certum intellexeris: noli firmum tenere.] & ad S. Hieronymum epistola: [e] Ego solis eis Scriptorum, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq. deferre, vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere; alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate & doctrina polleant; non ideo verū putem, quia ipsi ita senserūt, sed quia mihi per alios auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt.] eadem quoque habet in

d c 3. dist. 9.
e c. 5. dist. ead.

a c.9.dist.9. epistola [a] ad Vincentium quadragesimaoctaua. Sed & ad Fortunatianum b c. 10. dist. ead. epistola centesima vndecima istis verbis: [b] Neque quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum, veluti scripturas canonicas habere debemus; vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte inuenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet.] hæc Augustinus, quæ omnia Gratianus intulit in Decretorum librū. Disce igitur Constātine, quibus scriptis eiusmodi prærogatiua debeatur, nempe tantum Canonicis, vt nihil ex eis debeat in controuersiam reuocari. de reliquis minime; vt caueas, ne rursum in eiusmodi monstruosos errores impingas; sed scias sic probari ab Ecclesia Romana cuiuscumque scripta ab ipsa recognita, vt nihil in eis contra Fidem Catholicam, vel bonos mores conscriptū habeatur: ceterum si quid minus verū insit in eis, cuicumque volēti redarguere liberum esse sinit. sicut tibi disputare aduersus Baronij Eccles. Annales non negatur, quos ab eadē probatos liquet Ecclesia, vt apparet ex diplomatibus Pontificijs de his datis: quod tu non poteris ostendere factum in eiusdem Ioannis diaconi libris. vt intelligas, quā etiam ex hac parte potior sit conditio eorūdem Annalium, quam Ioannis diaconi scriptorū. Adeo vt si verum esset, quod dicis, probata semel ab Ecclesia non licere amplius, vera ne sint, in dubitationem reuocare, & aduersus ea sentire: grauius tu peccasses aduersus posita in Annalibus scribēs, quam ipse aduersus Ioannem diaconum. At non hoc sibi Baronius vendicat priuilegium, qui lucubrationes suas omnibus qui contradicere velint, libenter exponit, vt veritas controuersa magis eluceat.

Ceterum si Baronius scriptis ipsius Gregorij Papæ magis detulit quam Ioanni diacono, quid peccauit? quis adeo amens, qui non asserat Gregorio Papæ magis, de rebus præsertim suis, quam Ioanni, vel mille similibus esse credendum? Quæ iniuria irrogatur Ioanni diacono, si ipsi Gregorius præferatur? Honori habenda eius scripta quis neget? sed numquā profecto, vt in matriculam transeant scriptorum Canonicorum, vt nihil ex eis possit in dubitationem reuocari, & erroris argui. At nonne satis donatum Ioanni ab ipso Baronio, dum non vocatur in suspicionem fraudis, quod prætermisso Abbate illo Valentio iam tertium ab ipso S. Gregorio suo Abbate nominato, supponit loco ipsius quemdam confictum Hilarionem: cum sciret per Abbatem illum a Gregorio ita sępe nominatum, ipsum a Benedictinis omnino seiungi, sicq. ex eo frustrari penitus quod conaretur asserere, S. Gregorium fuisse S. Benedicti Regulæ professorem?

Tu vero in his quæ infers, quotupliciter peccaueris, vt te corrigas, ostēdemus. c pag. 32. vers. 20.42. vers. 18. Quod enim dicis, [c] ex Ioanne acceptas esse lectiones, easq. in Breuiarium Romanum illatas: inde scilicet arguis, non licere amplius Ioannis eiusdem scripta in controuersiam reuocare. At neque Breuiarium ipsum, præter lectiones ex scripturis Canonicis excerptas Romana Ecclesia recitandum ita tradit, vt omnia quę in eo sunt, velit locum obtinere scripturarum Canonicarum. Nam si ita esset, cur correctioni exposuit illud Pius Papa Quintus, cum fuerunt loca nonnulla correcta? cur nuperrime sub

Clemen-

Clemente Papa Octauo recognoscendum iterum idem est traditum, cum loca pleraque sunt emendata? Nã inter alia illud ipsum, quod Ioannes diaconus asserit de Cardinalatu Gregorij sub Benedicto Papa, est correctũ, vt fuerit Benedicti ipsius nomen sublatum, quod tandem viri docti id senserint apertum esse mendacium. Quod igitur sæpe corrigitur, mutatur, augetur, & minuitur, procul abest (quod tu putas) vt debeat inter Hagiographa numerari, & eodem cum illis priuilegio frui.

Sed & in eo corrigẽdus es, dum asseris, nõ licere a Ioanne cõscriptas res gestas S. Gregorij reuocare in controuersiã, eo quod ipse testetur accepisse se illas ex [a] Scrinio in primis Romanæ Ecclesiæ, & aliunde ex Scriptoribus veteribus, vt ipse testatur. Etenim responderi potest, ea quæ deducũtur in controuersiã, non esse ex illis, quæ collegit ex Scrinio, sed quæ aliũde quæsiuit, quod & firmiter quoque possemus asseuerare. Nam quæ de S. Gregorio accepit ex Scrinio, quis non intelligat fuisse ex epistolis eiusdem sancti Pontificis, ex quibus idem Ioannes optimam partem eius vitæ contexuit? Nam & hoc ipse testatur Ioannes in fine præfationis, dum ait: Si cui autẽ aliter visum fuerit, vt assolet, ad plenitudinem Scrinij vestri recurrens, tot chartaceos libros epistolarũ eiusdem patris, quot annos probatur vixisse, reuoluat.] sic igitur, tũc in eo verum sit quod subijcis: [b] In quo scilicet Scrinio vtique non seruantur nisi ea, quæ ipsam Apostolicã Sedem approbasse cõstare potest, & quæ in Acta publica redacta, & fide minime dubia per ministros legitimos ipsius Ecclesiæ confirmata, quæ ad eruditionẽ certam futurorum seruata in Tabulario eiusdem Ecclesiæ summa fide, & diligentia custodiuntur.] sed quod paulo post in fine paginæ vniuersæ ita pronuntias: Cum ergo Ecclesia approbet, quæ in suo seruantur Scrinio, & ex eo hauserit Ioãnes, quæ de beato Gregorio cõscripsit: luce clarius est, ea quæ scripsit, Ecclesiam comprobasse, saltem quoad fidem historiæ spectat.] Hæc tu Constantine, cum dicis, propemodum facis, vt tui causa erubescamus, cũ etiam ipsum totũ Scrinium Apostolicum velis efficere Hagiographum, vt nihil ex ijs, quæ in eo reperiuntur, erroris argui posse contendas. At vbi tot surreptiones, quas nolens & inuita Sedes Apostolica iugiter pati solet? solius Dei est, qui cor intuetur, his posse carere, & in omnibus rebus, quæ deferuntur ad tribunal Ecclesiæ, cognoscere & discernere falsum à vero; homines autem, & ipsum etiam Papam in his quæ sunt facti, falli posse & decipi, quis nesciat? Et ne aliunde quam ab ipso Gregorio [c] de his testimonium petamus: audi quid de Romanis Pontificibus subreptionibus expositis dicat: Miraris Petre, quia fallimur, qui homines sumus?] & paulo post: Quid ergo mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non sumus? Multum vero est, quod vniuscuiusque Præsulis mentem curarum densitas vastat; cumq. animus diuiditur, fit minor ad singula; tantoq. ei in vna qualibet re surripitur, quãto latius multis occupatur.] hæc Gregorius de Romanis Pontificibus potissimum loquens. Quod vero ad Scrinium pertinet, vt locum hunc paucis concludã, minime obscurum est, per Scrinium, sumendo partem pro toto, intelligere voluisse Ioannem diaconum ipsam Bibliothecam Apostolicam, in qua (vt

a pag. 36. vers. 16.

b pag. 41. vers. 19.

c Greg. dial. lib. 1. cap. 4. in fin.

ex ipso audisti (asseruarentur inter alia tot volumina epistolarum S. Gregorij, quot annis vixit in Pontificatu. Dicere autem, quod numquam auditum fuit, omnia, quæ in Bibliotheca Apostolica sunt recondita monumenta scripturarum, ipsa esse Hagiographa, vt nihil ex his in controuersiam duci possit, inauditæ dementiæ est. sed iam reliqua prosequamur.

Quod autem Baronius in Annalibus, eodem anno DLXXXI. asserat eiusdem S.Gregorij auctoritate, monachatum ipsius ante illum annum minime contingere potuisse, cum eo ipso anno, eius testificatione appareat, Vrbanam illum præfecturam gessisse; tu Constantine, summo conatu hæc impugnare laborans, quid non facis? Ipso igitur Dialogorum tuorum ingressu de tempore monachatus S.Gregorij aggrediēs pertractare, quoto scilicet anno Redemptoris acciderit, longissimam disputationem texuisti, ac demum totus anceps, dubiusq. sententiæ, prætermissis antiquioribus, Vrspergensem Abbatem, qui post quingentos & amplius annos a S. Gregorio vixit, es secutus, [a] dicentem, S.Gregorium anno salutis quingentesimo quinquagesimooctauo monachum Romæ claruisse. Exaduerso autem pugnantem Baronij sententiam vt conuelleres, mare & aridam circuisti, qui ex tempore Vrbanæ præfecturæ Gregorij, (qua durante, certum est eū monachū non fuisse) colligit, ipsum non ante dictū annū Domini quingentesimum octogesimumprimum potuisse monachū esse, quo anno ipse probaretur eamdem præfecturam gessisse. Tu vero dum ipsum redarguere conatus es, primum quidem intulisti calumniam, dum istud non nisi Anonymorum auctoritate assertum dicis. [b] Verum quod non Anonymos (vt calumniaris,) sed certos & nominatos auctores ab eo esse citatos in Annalibus, vbi de his agitur, inuenerimus, certe quidem tu ipse mendax argueris. quamobrem ad redarguendam calumniam, hic Baronij verba recitanda putamus, quæ sic se habēt posita in Annalibus, dicto anno quingentesimo octogesimoprimo: [c] Cum igitur cōstet de anno quo Laurentius defunctus est, appareatq. eum sedisse annos duodecim, sedereq. cœpisse anno Domini quingentesimo octogesimoprimo (vt omnes, qui res ecclesiæ Mediolanensis [d] prosecuti sunt, & ex eiusdem ecclesiæ monumentis seriem Episcoporum texuerunt, affirmant) nihil est, vt dici possit, a Benedicto Papa Gregorium creatum esse diaconum Cardinalem, siue monasticam vitam excoluisse, cum hoc ipso Laurentij tempore, adhuc laicum præfecturam Vrbanam administrasse pateat. Porro quod hoc eodem anno initium Episcopatus Laurentij contigerit, cum Gregorius Præfectus Vrbis vna cum alijs nobilissimis viris subscripsit Laurentij de communione cum Romana Ecclesia Cautioni: colligi satis potest ex veteri instituto, quod esset in more, vt simul ac quis creatus esset Episcopus, fidei professionem mitteret ad Apostolicā Sedem, prout ab eius successore Constantio in sua electione factum apparet ex eadem epistola ad eum data, [e] cum eumdem tradit scripsisse similem Cautionem de Trium capitulorum damnatione, cuius causa tres Episcopi ab eius se communione diuiserant. At vero ante Laurentium Fronto, & ante Frontonem Honoratus (sic legendum loco Honorij) rexit Mediolanensem ecclesiam, qui & eo tempore fuisse

[a] pag. 18. vers. 6.

[b] pag. 23. vers. 7. & pag. 30. vers. 27. & alijs locis.

[c] Annal. tom. 7. ann. 581.

[d] Panuin. & Galles. in serie epist. Mediolan.

[e] Greg. lib. 3. epist. 1.

fuiſſe reperitur, teſte [a] Paulo diacono, cum Alboinus inuaſit Italiam, Indictione tertia, anno Domini quingenteſimo ſeptuageſimo, vt apparet, ipſum cum ſucceſſore Frontone vſque ad Laurentium impleſſe decennium.] hæc in Annalibus. In quibus dum de Laurentij creationis tempore, quoto Chriſti anno cœpit ſedere, ab eo auctores nominatim non ponuntur in textu; hinc tua accuſatio calumnioſa prodijt, quod Baronius Anonymis idipſum probare conatus ſit. Verum quos non nominauit in textu, nonne in margine conſtat poſuiſſe eorum nomina, quos citauit? Quomodo ergo tu dicis, eum non niſi Anonymos ad ſua probanda citaſſe? ſed ſi non vidiſti, arguendus tu ipſe es cæcitatis, qui ob oculos poſita minime videris. Quin etiam in textu poſitam in fine certi auctoris, nempe Pauli diaconi, auctoritatem non legiſſe videris, dum eam de Anonymis calumniam ingeris. ſiccine bona fide res agitur? Ita quidem vehemens contradicendi libido, vbi ſemel animum alicuius inuaſit, veluti faſcino quodam, mentis atque etiam oculorum lumine hominem priuat. His confutatis, videamus, an reliqua ibi poſita firmiter ſolideq. ſubſiſtãt. Quæ vt accipias, ipſius vim repetam argumenti, quo Baronius monachatum S. Gregorij non ante annum Domini quingenteſimum octogeſimumprimum poſuit:

a Paul. diac. lib. 2. cap. 15.

Cum, inquit, ille monachus eſſe non potuerit, niſi poſt abſolutum præfecturæ munus; huius autem functione adhuc reperiretur, ipſo [b] teſtante, conſtrictus eo tempore, quo Laurentius Iunior eſt creatus Mediolanenſis Epiſcopus, quod contigiſſe ponitur dicto anno octogeſimoprimo poſt quingenteſimum: neceſſario infertur, vt ante tempus illud Gregorius eſſe monachus non potuerit. Quod autem eo anno & non ante, Laurentius creatus fuerit Mediolanenſis Epiſcopus, citati ſunt ab eo auctores, qui res Mediolanenſis eccleſiæ exploratas habuere, Panuinus & Galleſinus; quibus magnopere fauere reperiatur antiquitate & auctoritate ceteris præferendus Paulus diaconus, qui cum ante annos decem ponat præfuiſſe eccleſiæ Mediolanenſi Honoratum Epiſcopum, poſt quem ex recepta etiam abs te ſententia Fronto ſucceſſor eius decem annis ſediſſe dicatur: plane nullus datur locus, vt Laurentius ante dictum tempus ſediſſe potuerit. hæc cum ita ſint tanti auctoris teſtificatione firmata, nempe vt anno vndeſeptuageſimo poſt quingenteſimum ante Laurentium & Frontonem ſederit Honoratus Mediolanẽſis Epiſcopus: quomodo tu cum Vrſpergenſi aſſerere potuiſti, iam anno Redẽptoris quingẽteſimo quinquageſimooctauo monachũ claruiſſe Gregoriũ, qui de ſe ipſo teſtetur, tempore adhuc ſedis Laurentij, Vrbanam geſſiſſe præfecturam? Tu vero quod ea auctoritate Pauli diaconi nimis te perſtringi ſentires; in tota illa tua longiſſima diſputatione, eius tamquam ſi non eſſet, nullam penitus mentionem habuiſti, cum eam legiſſes apud Baronium, ea potiſſimum auctoritate nitentẽ. quam licet inuito hic ob oculos legendam propono, ſic enim [c] ait: Alboin igitur Liguriam introiens, Indictione ingrediente tertia, tertio Nonas Septembris, ſub temporibus Honorati Archiepiſcopi Mediolanenſis ingreſſus eſt.] hæc Paulus, optimi hiſtorici perfunctus officio certam conſignat temporis rationem die certa & Indictione certa. Quibus cum & certum

b Greg lib. 3. epiſt. 1.

c Paul diac. lib 2. cap. 12. vel 25. edit. Plant.

tum annum Domini ſignificari quingenteſimum vndeſeptuageſimum,dubitari non poſſit, cum ante biennium, nempe Indictione prima, eiuſdem Alboini in Italiam recenſeatur ingreſſus: perſtringeris vtique eadem Pauli auctoritate, vt ante ſexageſimumnonum poſt quingenteſimum Domini annum ponere nullo modo poſſis S. Gregorij monachatum. Rurſus vero vrgeris S. Gregorij auctoritate, vt non ante dictum Laurentij Epiſcopatum potuerit eſſe monachus, qui ipſo adhuc eius ingreſſu reperiretur fuiſſe Præfectus Vrbis. Sic tu incluſus duplici muro, velut ergaſtulo coarctaris, altero Pauli diaconi, quo prohiberis referre monachatum S.Gregorij ante annum Domini quingenteſimum vndeſeptuageſimum; altero S. Gregorij ex præſcripto tempore præfecturæ, vt neque ante illud tempus dicere poſſis S. Gregorium fuiſſe monachum: ſicq. nullo modo monachatum latioribus valeas terminis definire. Cum igitur (vt dictum eſt) auctoritate Pauli diaconi liqueat, dicto anno Domini vndeſeptuageſimo poſt quingenteſimum fuiſſe Mediolanenſem Epiſcopum Honoratum, eumq. & ſucceſſorem ipſius Frontonem expleſſe decennium in ea functione: iure Laurentius ſediſſe ponitur ab iiſdem citatis auctoribus, dicto anno octogeſimoprimo poſt quingenteſimum, quo (vt dictum eſt aſſertione Gregorij) ipſius Vrbana contigit præfectura.

Eiuſmodi igitur ex S.Gregorij Papæ, atque Pauli diaconi auctoritate, cognito certo termino temporis præfecturæ S. Gregorij dicti anni octogeſimiprimi poſt quingenteſimum, ante quod tempus eſſe monachus minime potuiſſet: quando poſt hæc ipſum fieri monachum contigerit, Baronius certi nihil affirmat, niſi quod octogeſimotertio poſt quingenteſimũ anno ab eo ponitur eiuſdem Gregorij diaconatus a Pelagio Papa collatus, cum abductum a monaſterio eum miſit Conſtantinopolim. Aduerſus autem iſta cum tu multum obſtrepens multa congeras, nihil præterea facis, niſi vt in cachinnum ſoluas ora legentium. mentiar, niſi tu ipſe ſentiens iſta (ſi ſapis) pro conſcientia eſſe vera profiteri cogaris. De his acturi, ea primum tibi ob oculos ponimus, quæ calumnioſe nimis a Baronio aſſerta affirmas, quæ ipſum vmquam dixiſſe, nullo pacto poteris
a pag.47. reperire. Quæ ſint autem iſta, ex tuis [a] ipſius verbis ſic reddimus, qui-
ỳ. 14. bus hæc dicens frequenter repetere conſueuiſti de Baronio: Apertiſſimis,
48. ỳ. 1. ais, verbis ſignificaſti, octogeſimoprimo anno ſupra quingenteſimum
79. ỳ. 5. præfecturam Vrbanam egiſſe. Sequenti anno monaſteria ſex in Sicilia, &
81. ỳ. 15. ſeptimum in Vrbe Roma ædificaſſe, & octogeſimotertio ſupra quingente-
83. ỳ. 17. ſimum monachum effectum.] hæc tu de Baronio, quem in tuis dialogis
90. ỳ. 20. ſub Bernardi perſona ſugillas; quæ nec abs te ſemel dicta, ſed vndecies
91. ỳ. 32. repetita, & vehementius inculcata, in margine notata poſuimus, vt ea
157. ỳ. 29. Lector facile conſulere poſſit. Sed vbi locorum, rogo te, Baronius ita
158. ỳ. 14. (vt tu dicis) definit tam certa diuerſarum actionum tempora? vbi loco-
160. ỳ. 18. rum aſſerit, ſequenti anno, nempe octogeſimoſecundo a S. Gregorio fuiſſe
193. ỳ. 14. monaſteria erecta, & octogeſimotertio effectũ monachum? certe quidẽ ita exacte, vt tu ponis, ab eo fuiſſe diſtincta tempora & definita, nequaquã inuenies; neque ab eo conſtitui certum annum, quo S. Gregorius factus ſit

monachus;

monachus; sed tantum certum firmari annum, ante quem nullo modo potuerit esse monachus. sed ista omnia tua abs te aguntur interpretatione; in qua tu ipse quantum fallaris, intelliges. Ceterum quod ad monasteriorum pertinet erectionem, illa ab eo excitata fuisse, cum adhuc laicus esset, ex ipso Gregorio Papa cogniturus est Lector: quod & Gregorius[a] Turonensis eius æqualis, qui Romam veniēs eiusdem Gregorij tempore, quæ ipsius essent, potuit optime didicisse, affirmare videtur. [a] Greg. Turon. lib. 10. cap. 1.

Cum vero certum annum monachatus S. Gregorij nequaquam Baronius (vt tu calumniaris) voluerit definire: tu tamen ex perperam facta interpretatione verborum eius, ita deducere velle videris. Cum enim certum dumtaxat annum præscribat eius in Cardinalem diaconum assumptionis, & legationis Constantinopolitanæ, qua functus est, nempe annum quingentesimum octogesimumtertium, ibiq. dicat, statim Gregorium ipsum a Pelagio Papa e monasterio euulsum, ordinatumq. diaconū, atque missum Constantinopolim: hoc, quod dixit, *statim euulsum*, tu male interpretaris, significare voluisse, eodem die, hora, vel momento, quo factus est monachus, inde per Pelagium Papam abductum fuisse. Sed sic ab eo dictum esse, *statim*, quod diutius ibi ipsi morari non licuerit, ipse idem Baronius superius demonstrauit: vt non alius quispiam quam ipse suorum verborum sit audiendus interpres, qui anno Domini quingentesimo octogesimoprimo eius Vrbanam tractans præfecturam, & de iisdem agens hæc ait de ipso S. Gregorio: Qui igitur haud diu permissus est degere in monasterio, sed inde euulsus in diaconum est assumptus.] plane declarans, quod tunc dixit, *statim*, id voluisse significare quod dixerat, haud diu ipsi concessum in monasterio commorari. & inferius vbi dixit, *statim* post tres versus, quid per illam vocem voluerit intellexisse, sic ipse declarat: Cum igitur Gregorius monasterium ingressus esset, ne ibi diu permaneret, oborta occasio fecit.] Ecce tibi, ipse est interpretatus quod dixerat, *statim*, nempe significare voluisse, non diu. Sed & quod dixerit, *statim*, haud existimes, oscitanter prolapsum verbum illud ab eius ore; sed scite admodum atque prudenter ea voluisse voce vti, petita non aliunde quam ex eiusdem ipsius S. Gregorij verbis, quibus hæc in primis de sero nimis suo ingressu in monasterium habet in præfatione in libros Moralium ad Leandrum, quæ idem Baronius[b] ibi recitat, tu vero non vidisse simulans, ad ea nihil respondes. sic enim ipsum Leandrum alloquitur: [b] Annal. to. 7 an. 581.
Omne tuis auribus, quod mihi de me displicebat, exposui. Quoniam diu, longeq. conuersionis gratiam distuli. Et postquam cælesti sum desiderio afflatus, sæcularem habitum contemnere, melius putaui. Aperiebatur mihi tunc de æternitatis amore quod quærerem, sed inolita me consuetudo deuinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumq. adhuc me cogeret animus præsenti mundo quasi specietenus deseruire: cœperunt multa contra me ex eiusdem mundi cura succrescere, vt in eo iam non specie, sed quod est grauius, mente retinerer. Quæ tandem cuncta sollicite fugiens, portam monasterij petij, & relictis quæ mundi sunt, vt frustra tunc credidi: ex huiusmodi naufragio nudus euasi.] hæc de se ipso non alius quam

ipse

ipse Gregorius, de dilata diu, longeq. (vt ait) sua conuersione, & in sæculo diuturna, licet cum pietate, conuersatione, sed tamen ad monasticum sumendum habitum cunctatione. quæ adamussim probe conuenire omnibus de præfinito tempore præfecturæ illius intelligis.

Rursum vero, quomodo, vbi est ingressus monasterium, illic diu manere ei non licuerit, sed per Pontificem ipsum abstractus sit: accipe consentientia mirum in modum omnibus, quę dicta sunt à Baronio in Annalibus; quæ tu, Constantine, cum sæpe sugilles, sæpe etiam cum derisione atque contemptu [a] repetens illa verba, *statim euulsum*, scias te sugillare & carpere ipsum S. Gregorium, à quo accepit illa Baronius. Audi tu, inquam, quæ in eadem ad Leandrum præfatione his quæ sunt dicta, ita mox subijcit: Quia enim plerumque nauim incaute religatam etiam de sinu tutissimo litoris vnda excutit, cum tempestas crescit: repente me sub prætextu ecclesiastici ordinis, in causarum sæcularium pelago reperi, & quietem monasterij, quam habendo non fortiter tenui, quam stricte tenenda fuerat, perdendo cognoui. Nam cum mihi ad percipiendum sacri altaris ministerium obedientiæ virtus opponit: hoc sub Ecclesiæ colore susceptum est, quod si inulte liceat, iternm fugiendo deflectatur &c.] hæc de se Gregorius, querens se post ingressum monasterium, inde iussione Romani Pontificis repente (vt ait) fuisse subductum. porro, *statim*, & *repente*, idem significare, tu ipse (vt inferius dicendum est) es interpretatus. Sic igitur nihil penitus est, quod quisquam iure redarguere valeat, si quod S. Gregorius, *repente*, dixit, Baronius, *statim*, dixerit; non quod eodem momēto (vt tu male interpretaris) inde euocatū dicere voluerit, sed vt ipse declarauit, quod ibi manere non diu licuisset. Quantū vero tēporis in monasterio manserit, sicut affirmari non potest, ita non ante octogesimūprimum post quingentesimum annum fuisse monachum, dici debet. Cum alioqui ex ijs quæ eodem auctore Gregorio Baronius affert, constet ipsum arreptum semel monasticum institutum numquam deseruisse. Primū quidem quod ab Vrbe recedens, monachos plures, quibuscum viueret, Constantinopolim secum duxit; ac deinde quod reuersus Romam, in suum monasterium redijt. Hæc, inquam, omnia eiusdem Gregorij testificatione ipse confirmat, vt de his suboriri dubitatio nulla possit. Cohibe te igitur, Constantine, neque calumnieris Baronium (quod sæpe facis) dixisse quæ non dixit, conuictus tu ipse in his calumniator & mendax.

[a] pag. 50. ṽ. 1. 52. ṽ. 18. 53. ṽ. 30. 55. ṽ. 15. 59. ṽ. 16. & alijs in locis.

His igitur de tardo ingressu Gregorij in monasterium, & repentina euocatione ex eodem per Romanum Pontificem facta, ipsius S. Gregorij auctoritate firmatis: reliquū modo est, vt quæ abs te sunt adducta ex eodē Gregorio de longa in eodem monasterio perseuerantia, adducamus in medium. sunt ista [b]: Ipsum igitur (inquis S. Gregorium) & iudicem & patronum causæ suæ constituere decreui; vt vel doctrina & fide sua, aut etiam sanctitate illectus te dedas. certus enim sum, si ad eum confugiam, fidissimum me habiturum patronum, qui non permittet me causa cadere. Qui dum adhuc in humanis esset, hanc quæstionem, quasi diuinans futuram, plurimis locis dialogorum suorum diremisse visus est. sic enim cum

[b] pag. 48. ṽ. 15.

suo

suo Petro loquens, ait: Redemptum Ferentinæ ciuitatis Episcopum, vitæ venerabilis virum, qui ante hos fere annos septem ex hoc mundo migrauit, tua dilectio cognitum habuit. Hic, sicut nosti, mihi adhuc in monasterio prope posito valde familiariter iungebatur. hæc [a] Gregorius. Quibus puto (subdis) satis aperte constare, & quo tempore fuerit in monasterio, & diu etiam in eo permansisse, cum Redemptus ille (vt scribit Marianus Scotus) claruerit anno Domini quingentesimo septuagesimoquarto, & eo tempore floruerit familiaritate beati Gregorij.] hæc tu ipse. Qui certe ex S. Gregorio id non probas, sed tantum ex Mariano Scoto, qui post annos ferme quingentos post S. Gregorium vixit, quem omnino errasse, quæ sunt dicta superius de tempore præfecturæ Vrbanæ S. Gregorij, satis ostendunt. Ex dictis autem Gregorij sic inferius infers: [b] Apertissime, inquis, docet illis verbis, & diu se in monasterio positum, eius familiaritate vsum fuisse, & ante in monasterio extitisse.] hæc illatio tua. Sed quid probat? ante septennium notum fuisse in monasterio suo Gregorio Redemptum. Porro si computes a tempore, quo sunt scripti dialogi, in quibus ista ipse scribebat anno quarto sui Pontificatus, plane longe plures annos, quam septem, ex quo Gregorius monachus esse cœpit, inuenies: cum etiam a tempore, quo est reuersus Constantinopoli ad suum monasterium, cui vsque ad electionem suam in Romanum Pontificē præfuit Abbas (fuit is annus eius reuersionis octogesimussextus post quingentesimum) plusquam septē anni numerentur.

a Dial. lib. 3. c. vlt.

b Pag. 49. ÿ. penult.

Scias enim, ipsum, vbi Romam rediit, mox ad suū monasterium esse reuersum, eidemq. summa præfectura præfuisse, nempe Abbatis, prout ipse Gregorius satis aperte docet, dum narrat historiā de monacho proprietario, in quem vt Abbas, censurā illam exercuit, vt sepeliretur in sterquilinio. ait enim sic incipiens: [c] Neque hoc silendum puto, quod actum in meo monasterio ante triennium reminiscor. Quidā namque monachus, Iustus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem monasterio constituto sedulo obsequio, & in assiduis ægritudinibus meis excubare cōsueuerat &c.] subdit enim de pœna, quam vt Abbas irrogauit in eum. Sed quod ad Redemptū pertinet, quid, inquam, prohibet eum notū Gregorio in monasterio, etiam antequam Constantinopolim pergeret? Nam non ita statim inde euulsum accipiendū, vt secundum ea, quæ dicta sunt, non potuerit aliquo licet breui temporis spatio ibi degisse. Sed non est necesse illud septennium reuocare ad tempus illud, antequam profectus esset Constantinopolim, cum inueniatur impleri posse post reditum.

c Greg. dial. lib. 4. c. 55.

Idipsum respondemus ad id quod subdit de Iuliano, de quo Gregorius ait, [d] quod eodem modo ante septem annos defunctus consueuerat venire ad monasterium, vbi constitutus erat ipse Gregorius. Idem, inquam, respondendum, eo quod idem sit casus de his, quæ spectant ad tempus. Facessat itaque cauillus toties repetitus de verbo, *statim*; cuius loco (vt vidisti) ipsemet Gregorius dixit, *repente*; cuius testificatione audisti, sero factum monachum, & cito inde sublatum. Quibus sic firmiter eiusdem verbis constitutis, cetera ab ipso de se scripta

d Greg. dial. lib. 4. c. 38.

sic accipienda omnino sunt, ne eidem ipsi Gregorio aduersentur, sed potius quoquomodo possunt (possunt quidem recte) ijsdem accommodentur.

a pag. 53. v. 5. Affers [a] alia testimonia ex eisdem dialogis S. Gregorij petita, in quibus de tempore etiam decennali ante eorumdem dialogorum scriptionem mentio habetur, vt illud de Gerontio verbis istis: In monasterio etenim meo, inquit, quidam Frater ante decennium, Gerontius dicebatur &c.] ad hæc ingeris: Porro si ante decenniū hoc euenerat: absque dubio in ipsum octogesimumtertium annum supra quingentesimum (si hæc quarto sui Pontificatus anno, vel etiam nonagesimoquarto salutis scripsit) incidit: quo tempore certissimum est (prout tu vis) vel nondum monachum fuisse, vel certe Constantinopoli fuisse. At hoc quod narrat, ostendit eum & multo ante monachi vitam arripuisse &c.] hæc tu dicens, iterum a nobis arguendus eris impactæ ac sæpe repetitæ calumniæ, cum ais, sentire Baronium, S. Gregorium nondum fuisse monachum ante dictum annum octogesimumtertium post quingentesimum. Quam autem ab ea sententia abhorruerit, satis dictum superius, cum aliud nihil sit conatus Baronius, quam demonstrare, S. Gregorium ante annum octogesimumprimum, quo gerebat præfecturam Vrbanam, esse monachum minime potuisse: quando autem post dictum annum factus sit monachus, minime definiuit, licet dixerit, ***statim***, &, ***non diu***. per quæ verba minime voluit definisse, eodem id factum momento.

Ista autē cum iure possemus dicere; tamen longe firmiorē subijciemus paulo post responsionem, vbi aliud, idemq. nouissimum, quod itē ex dialogis petitum de certo annorum numero, ceteris, tua sententia, fortius

b pag. 55. v. penult. ingeris [b] argumentum, adiecero de Merulo monacho monasterij S. Gregorij, de quo cum dicat Gregorius, eius sepulturam post annos quatuordecim esse refossam, & miram suauitatem odoris spirasse: inde arguis, iam annis quatuordecim, antequam illa Gregorius scriberet, anno nonagesimotertio vel quarto post quingentesimum, S. Gregorium fuisse

c pag. 56. v. 12. monachum. subijcis vero ista: [c] Quam autem hæc eius verba clarissime probent sententiam nostram esse verissimam, puto etiam a priuatis sensu perspici posse.] ita esset quidem, vt dicis, si S. Gregorius in his duobus nouissime recitatis exemplis loqueretur de suo monachatu, sicut loquitur de suo monasterio: sed cum tantummodo de suo monasterio loquatur; nihil aliud infertur, quam ante decem, vel quatuordecim annos ab illo tempore, quo illa scriberet, iam extitisse S. Gregorij monasterium. quod & ego profiteor & affirmo, vt superius ex Gregorio Turonensi professus sum, videlicet a S. Gregorio septem illa esse erecta monasteria, antequam monachus ipse fieret. Nihil penitus ergo ex his infertur (vt vides) S. Gregorium ante decennium, vel annos quatuordecim fuisse monachum, prout tu gloriose, tamquam de obtenta ex his victoria, prædicas.

d pag. 54. vers. 17. Inania insuper sunt & vacua prorsus, quę ex ijsdem dialogorum libris adhuc adducis de antiquiori monachatu S. Gregorij istis verbis: [d] Clarissima

riſſima, inquam, adhuc ex eodem penu deprompta adducam. ſic enim ſequitur ibi: Quidam mecum in monaſterio Frater Antonius viuebat, qui multis quotidianis lachrymis ad gaudia patriæ cæleſtis anhelabat &c.] ad iſta tu: Ex illis verbis, Mecum viuebat in monaſterio, &, Qui multis quotidianis lachrymis ad gaudia patriæ cæleſtis anhelabat, &, Cumq. ſtudioſiſſime & magno feruoris deſiderio ſacra eloquia meditaretur, oſtenditur ſane (ſubdis) eum ad eam perfectionem non perueniſſe, niſi longo virtutum monaſticarum exercitio. qua in re temporis diuturnitate opus eſſe quis neſciat?] ita illatio tua & argumentum de antiquitate S. Gregorij monachatus. At nonne iſta ridenda potius quã confutanda? Ac ſi iſtiuſmodi dona Dei dentur cum temporis obſeruatione, & non potius ſæpe contingat, abundare huiuſmodi feruoribus ſpiritus Nouitios ipſos, & monachos veteranos egere. Huic ſimile argumentum eſt, quod ad hoc ipſum probandum deducis ex eo, quod S. Siluia[a] eius mater mittebat legumina infuſa filio monacho, ergo (inquis) antequam iret Conſtantinopolim. & quis hoc negat? ergo non ſtatim euulſus a monaſterio: ita ſane, ſi *ſtatim* ſumis pro momentaneo puncto temporis. ſed faceſſant iſthæc. Nam Baronius (quod ſæpe repetere cogis) voluit illud, *ſtatim*, intelligi eodem ſenſu, quo S. Gregorius vocem, *repente*, qua eſt vſus ſcribens ad Leandrum, accepit. Ita vt hac ex parte tibi non tam Baronius, quam Gregorius debeat reſpondere, qui hoc ſolum voluit voce illa ſignificare, non licuiſſe ſibi monacho, tanto labore ac difficultate facto, diutius in monaſterio commorari.

Sed quid, Conſtantine, nos detines occupatos puerilibus concertationibus iſtis? vt quod ibidem adhuc ſubijcis,[b] aſſerens librum ſecundum dialogorum ſcriptum eſſe a S. Gregorio ante primum, eo tantum argumento vſus, quod ipſe Gregorius fateatur ſe ea accepiſſe a quatuor illis S. Benedicti diſcipulis, Conſtantino, Valentiniano, Simplicio, & Honorato, qui iam obijſſent antequam priorem illum librum ſcripſiſſet. Ac ſi neceſſe ſit aſſerere, tunc illa ſcripſiſſe, cum audiuit; & ſit aliquid quod prohibeat, vt quæ ipſe antea audiuit, non potuerit poſtea ſcriptis mandare. Vides ipſe, cuius ſint iſta, quæ ingeris, firmitatis? Sed quantum fallaris in his, quæ ſunt temporis, ipſe ſenties, cum primum hic reddam ea, quæ abs te ponuntur; qui vt iſta probare queas, hæc paulo inferius infers:[c] Neceſſe eſt, inquis, (S. Gregorium ſcilicet) eas (res geſtas) S. Benedicti audiſſe ante ſexageſimum ſupra quingenteſimum annũ ſalutis, & ſcriptis mandaſſe. Conſtãtinus enim ille (vt tradunt Arnoldus & alij) anno eodem ſexageſimo inter viuos eſſe deſijt, poſt quẽ haud diu ſuperuixit Simplicius, qui ei ſucceſſerat, cui ſuffectus fuit Vitalis &c.] hæc tu ipſe, ſed quantum decipiaris, attende. Ex rebus enim geſtis Simplicij Abbatis diſcipuli S. Benedicti omnino conuinceris errare. Quomodo enim paulo poſt quingenteſimum ſexageſimum ſalutis annum interijſſe vis Simplicium, quem conſtat ex Fauſto ſcriptore vitæ S. Mauri, poſt annum quingenteſimum octogeſimumſextum adhuc fuiſſe ſuperſtitem, reuerſum è Gallijs cum ipſo Fauſto poſt obitum S. Mauri?[d] Fauſtus enim

[a] pag. 58. v. 25.

[b] pag. 60. v. 9.

[c] pag. 60. v. 22.

[d] apud Sur. to. 1. die 15. Ian in pref. & in fine vitæ S. Mauri.

& ipse discipulus S.Benedicti & eius alumnus,qui de rebus gestis S.Mauri,atque Simplicij, quæ vidit, scripsit, fidelissimus testis in omnibus, hic inquam,testatur de ipso collega suo Simplicio,mansisse eum cũ S.Mauro in Gallijs annis quadraginta & vno,quibus vixit idẽ S. Maurus: insuper & sub S. Mauri successore Bertulpho duobus annis adhuc ab ipso coactum ibi mansisse; sicq. quadragintatribus annis in Gallia esse moratũ. Inde vero cum ipso Fausto esse reuersum in Italiam ad suos Fratres,monachos Cassinensis Congregationis. Quod quidem contigisse anno Domini quingentesimo octogesimosexto,ex dictis ita deducitur: Cũ enim Faustus dicat, eumdem S. Maurum oblatum S. Benedicto mansisse apud eum annos viginti, apparet ipsum non recessisse inde in Gallias vsque ad annum Redemptoris quingentesimum quadragesimumtertium (siquidem anno vigesimotertio post quingentesimum contigisse oblationem Mauri S. Benedicto, etiam tu ipse affirmas post Leonem Ostiensem, & alios.) adijce autem modo annos illos quadraginta & vnum sub Mauro,insuper & duos annos sub Bertulpho,quibus eumdẽ Simplicium mansisse in Gallijs idem tradit Faustus, vtique quingenti & octogintasex Domini anni fiunt, cum Simplicius redijt ad suos collegas monachos Congregationis Cassinensis, tum Romæ degentes in Laterano. Ex his igitur omnibus attente considera, quantum fallaris de tempore Simplicij Abbatis & prædecessorum ac successorum eius, coarguarisq. a Fausto auctore fidelissimo, qui præsens omnibus, omnia fidelissime scripsit, vt in controuersiam reuocari amplius a quouis auctore non debeant. sed de eodem Simplicio inferius pluribus.

a pag. 65. vers. 12. Post hæc autem [a] concertationem subijcis aliam, a quonam missus sit Constantinopolim S.Gregorius; & dum tueris ex sententia Ioannis diaconi,missum esse a Benedicto Papa, frustra laboras; cum in restitutione Breuiarij Romani sub Clemente Papa Octauo elaborata, scias iam præiudicatum esse, expuncto nomine Benedicti, quod a Ioanne sciretur errore positum: qua expunctione non solum Ioannis diaconi de his sententia aboletur; sed omnium illorum, quos tu magno fastu Scriptores enumeras, qui longe post Ioannis tempora floruerunt. Sed cum dependeat controuersia ista a priori illa de tempore præfecturæ Vrbanæ Gregorij; hæc autem (vt est demonstratum) contigerit anno octogesimoprimo post quingentesimum: plane constat,non potuisse vllo modo mitti Gregorium a Benedicto,cum ipso iam defuncto ante biennium, in locum ipsius Pelagius fuerit subrogatus.


b pag. 80. vers. 6. Quod autem agens inferius de S. Gregorij Papæ ætate, cum vitam monasticam agere cœpit,eius te esse sententiæ [b] profiteris,vt fuerit tunc iuuenilis ætatis, idq. ea ratione probare niteris, quod constet ex Ioanne diacono, ipsum tunc superstitem habuisse matrem. Addo (quod magis mireris) ipsum iam Pontificem suis litteris affirmare, adhuc tunc temporis suam nutricem fuisse superstitem. quotennis autem tunc fuerit, aliquid certe asserere, est diuinare,cum ex antiquioribus fontibus id accipere posse non detur. Nam cisternæ sunt dissipatæ monumenta illa tua, ex quibus ista deducis, vt nullius sint penitus fidei, prout quæ inferius

rius dicturi sumus, ostendent. Liquet tamen ipsum Gregorium, tempore Pontificatus, non fuisse admodum senem; ad quod probandum ipse Baronius iure argumentum deducit non solum ex eo, quod ipsius adhuc nutrix superstes esset, sed quod suis ipse epistolis, cum sæpe sæpius de morbis ingrauescentibus conqueratur, nusquam reperitur de senectute hebetante fecisse aliquando mentionem. Ceterum ipsum diu multumq. in sæculo inseruisse negotijs publicis, sero autem ad Deum conuersum ingressum esse monasterium, ipsius auctoritate superius est demonstratum, vt superfluum sit ista repetere. Quod ergo infers, non potuisse dicto anno quingentesimo octogesimoprimo præfecturam gessisse Vrbanam, iam de his abunde, quantum decipiaris, suo loco superius dictum est, vt non sit opus, eadem (vt tu facis magno legentium tædio) sæpe repetere, quæ & me inuitum cogis iterare frequenter, vt confutem ea.

Eiusdem quoque sunt ponderis, nisi fortasse etiam leuioris, quæ [a] ingeris, dum agis de monasterijs ab ipso S. Gregorio erectis, & probare niteris, illa ab ipso ædificari iussa, vbi præfecturæ Vrbanæ, quam gerebat, munus expleuit, rationibus ab exteriori corporis cultu atque ornatu vestium petitis, de quibus scribat ista [b] Gregorius Turonensis: Qui antea serico contextu ac gemmis micantibus solitus erat per Vrbem procedere trabeatus, nunc vili contentus vestitu, ad altaris Dominici ministerium consecratur. &c.] At quis nesciat, trabeam, & quæ trabeæ accedunt, insignia fuisse Vrbanæ præfecturæ ipsi Gregorio necessaria indumenta, non autem ad gloriam ostentandam voluntariam sæculo addicti hominis vanitatem? vt non possis arguere, quod facis, ex vanitate indumentorum non potuisse ab eo tunc ædificari monasteria, cum (vt tu ais) eius ab ijs longe animus esset. sed longe deciperis. Qui ergo citasti Gregorium Turonensem, debueras meminisse, antequam ista de indumentis ipse tractaret, iam de monasterijs septem ab eo erectis verba fecisse, quibus innuat, iam ab ipso erecta, cum incederet ex præfecturæ munere trabeatus. Et id quidem esse verissimum, ex deductis superius atque ex ipso spatio annorum quatuordecim, ante quos refossum monachi sepulchrum ipse Gregorius dicit, perspicue colligitur, ante initam ab eo præfecturam iam dicta monasteria erecta fuisse.

[a] pag. 81. §. 28.

[b] Greg. Turon. lib. 10. c. 1.



Ex his igitur colligere poteras tempus monasteriorũ erectionis, & non argumentis istis tuis futilibus secus asserere, dum ais: [c] Porro autem eius exterior cultus erat (vt Turonensis Gregorius de eo scribit, vt iam antea diximus) auro & serico contextu ac gemmis coruscantibus trabeatus incedere: huiusmodi autem vestitus non est hominis monasteria ædificantis, aut monachi vitam profitentis se arripere velle, sed sæculo dediti, nec grandis natu, sed admodum iuuenis: cui absque dubio deesse etiam non debebant clientum ac seruulorum cateruæ, quæ patronum & dominum procedentem stiparent.] hæc tu & alia, quæ ad pompam pertinent sæcularem, ex quibus ista deducis, dicens: Quæso dic mihi: Numquid qui ita procedit, & eo animo viuit, cogitare potest de extruendis cœnobijs? Curam igitur omnem Reipub. abiecit primum, & antequam monasteria ædificaret: & sic postea de extruendis cœnobijs cogitare

[c] pag. 82. §. 28.

tare

tare cœpit.] & paulo post: Nequaquam igitur ante præfecturam aut statim post eam, neque vnius anni spatio extruxit monasteria, aut habitũ monachi induit, seu ea statim incolere fecit.] ista tu quidẽ, sed aduersus quem? quis dixit post præfecturam vnius anni spatio ab eo monasteria erecta, & indutum monasticum habitum? non certe Baronius, in quem falso ista sæpius calumniose nimis obiectas, aerem plane verberans, dum in incertum sis pugnans. Sed & quomodo ex ornatu vestium id deducere non erubuisti, perinde ac si non a splendide vestitis potuerint monasteria ædificari, ac latere possit intus in animo, quod celat indumentum exterius, & omnia fere orbis totius monasteria non ædificata fuerint ab hominibus decore vestitis, Principibus, inquam, alijsq. nobilissimis viris, quorum erat ex status necessitate sui, progredi magnifice vestitos, cum præsertim vt in Gregorio, id exigeret magistratus? quod de innumeris Sanctis possit facile demonstrari.

a pag. 84. v. 11. Posthæc autem abs te repetita sæpissime rursus[a] ingeris, & ad nauseam vsque instauras controuersiam de voce, *statim*, a Baronio posita, cum de eius a monachatu S. Gregorij ad Cardinalatum vocatione mentionem facit in[b] Annalibus: cui ob id pene succenserem, quod eo verbo vsus, magnam tibi ansam præbuerit contradicendi, & mihi molestiam pepererit respondendi, tuaq. confutandi; nisi constaret, ab ipso factum scitissime quidem & prudentissime (quod superius est demonstratum) dum simili cum ea voluit vti voce, qua S. Gregorius vsus est, ac plane synonyma, vt quod dixerat S. Gregorius in præfatione in libros Moralium ad Leandrum de se ipso e monachatu deducto ad Cardinalatum: Repente me sub prætextu ecclesiastici ordinis &c.] Baronius diceret, statim inde euulsus.] Quid fidelius in historia, sacra præsertim, quam ab antiquis asserta ijsdem, vel omnino similibus verbis reddere, ne quid exaggeratio oratoria, vel amplificatio sibi aduersus veritatem vsurpet? porro quod idem sit, *statim*, quod, *repente*, te ipsum tuus docuit[c] Grammaticus Herculianus, quem in suo dialogo sic interloquutum facis, vt rogatus de voce, *statim*, germano sensu, ista subiungat: *Statim* asserunt (Grammatici scilicet) significare, mox, illico, repente] ecce tui docti Grammatici testificatione habes, idem, *statim*, esse quod, *repente*. Vnde tu ipse Constantine (si audes) in primum auctorem, in ipsum S. Gregorium, tua conuerte spicula, quod dixerit, se repente vocatum e monachatu ad Cardinalatum, & Baronium vrgere desine, qui secutus Gregorium, vbi senserit abs te Gregorium victum, dabit ipse, certo scito, continuo manus. Ipsum compella modo Gregorium, facesse negotium, vrge, sic insta: Quid est, inquiens, quod dixisti, repente abductum te a monachatu ad diaconatum, cum tu ipse de te ipso pluries professus sis, diu[d] te in monasterio permansisse? Repente, & diu longe inter se diuersa esse noscuntur, vt sibi inuicem aduersentur, vt non possint vna simul consistere; ita vt data altera earum voce sit altera penitus explodenda. Ista abs te illata non ægro fert animo Gregorius vir mitissimus, neque respondere contemnit, demulcens perbelle caput tuum, qui in puerilibus

b Annal. to. 7. an. 583.

c pag. 86. v. 28.

d pag. 85. v. 32. pag. 86. v. 3.

bus iſtis nimis valde detinearis; dicetq. ſecundum [a] Hilarij ſententiam, Debere verba rebus, non res deſeruire verbis. ſicq. fieri interdum, vt iſtud, *ſtatim*, plura annorum centenaria comprehendere poſſit, vt habes in exemplum vaticinium Malachiæ, quo ait: [b] Statim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.] Noli ergo tu eſſe tam ſeuerus interpres, vt quod ego dixi, *repente*, & meo exemplo Baronius, *ſtatim*, tu velis vno temporis impletum puncto atque momento. Amor vehemens me ita ex abundantia cordis loqui coegit, vt cito citius abreptus eſſe viderer ab eo, quod vehementi poſſidebam amore. amantium ſunt phraſes iſtæ. Nam quid ait diuina [c] Scriptura de Iacob, Rachelis amore flagrante, & pro ea ſeptennij temporis ſpatio duriſſime laborante? Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.] Diſce igitur (iterum dico) verba rebus aptare, non res verbis cogere inſeruire. ſi iſta ſapis, nō deſipies. Sicut cum eadem ratione, voce illa, *diu*, ſum vſus ad ſignificandum perbreue temporis ſpatium. nam in dialogorum præfatione ita me dixiſſe memini: cum afflictus valde, & diu tacitus ſederem, dilectiſſimus filius meus Petrus diaconus affuit &c.] dixi *diu*, quod paucarum horarum tempus includitur. quin immo dixi [d] alibi & diutius, quod vel vnius aut alterius horæ termino factum ſcirem, idq. alibi ſæpius. Quæ omnia ſi tu adhibita rerum geſtarum diſcretione conſideraſſes: haud tu diu, in voce *diu*, fruſtra adeo laboraſſes, & ſtatim de verbi, *ſtatim*, controuerſia diſceſſiſſes.

[a] De verb. ſignif. c. intelligentia. ext.
[b] Malac. 3.
[c] Gen. 29.
[d] Dial. lib. 1. c. 10.

Quod autem mox [e] addis, ab eodem ipſo S. Gregorio definiri certum tempus, quo ingreſſus eſt monaſterium, cum agit tam in vltima homilia in Euangelia, quam in dialogis [f] de obitu S. Romulæ virginis, verbis illis: Eo namque tempore, quo monaſterium petij, anus quędam Redempta nomine in ſanctimoniali habitu conſtituta in Vrbe hac iuxta beatæ Mariæ Virginis eccleſiam manebat.] & infra de eius diſcipula Romula paralytica agens: Hæc, inquit, multis annis in lectulo decubans, pene omni iacebat membrorum officio deſtituta.] & paulo poſt: Sicut vtique referentibus, & eadem res multis claruit, & ego quoque in eodem tempore agnoui.] ex his autem tu iſta deducis: Perpende, inquis, diligenter illa verba: Eo namque tempore, quo monaſterium petij, & illa: Multisq. annis in lectulo decubans, & illa: Et ego quoque in eodem tempore agnoui: & animaduertere poteris, an ſtatim e monaſterio auulſus fuerit, vel in eo diu permanſerit. *Diu* autem (ni fallor) &, *ſtatim*, eſſe contraria, nemo negauerit.] falleris certe, & negat id ipſe S. Gregorius, vt nuper audiſti, nimirum quod reſpectu diuerſorum non ſint inter ſe voces iſtæ contrariæ, ſed ſimul veræ pariter eſſe poſſint. Quod autem de multis annis interlapſis, toto illo tempore, quo S. Romula paralyſi laborauit, tibi ſuppeditas argumentum: quid prohibet hæc referri ad tempus, quo ipſe S. Gregorius manſit in monaſterio? manſit namque vſque ad ſui ad Pontificatum promotionem poſt reditum ſaltem annis quatuor: his adde totidem annos qui intercurrunt vſque ad tempus, quo illa ipſe ſcribebat,

[e] pag. 86. §. 9.
[f] Dial. lib. 4. c. 15.

bat,sicq. octo fient anni, ijdemq. multi illi, quibus tradit,Romulam paralysi laborasse. Vt plane nihil sit, quod ijs deducere valeas, S. Gregorium, contra assertam sententiam, ante octogesimumprimum annum monasticam vitam esse professum.quibus intelligas omnia ista argumenta tua fumi instar in tenuem aerem euanescere. Ceterum quod ad germanum sensum verborum S. Gregorij pertinet: tota illa narratione significare voluisse videtur, tunc quidem, cum ipse monasterium est ingressus, contigisse quem narrat S. Romulæ ad Deum transitum: quod idem ipse inferius declarasse visus est, vbi agẽs de apparitione diuinitus acta paulo ante eius obitum, mox ait: Eadem res multis claruit, & ego quoque in eodem tempore agnoui.] quonam eodem tempore,nisi quod præmiserat ipso narrationis exordio, Quo, inquit, monasterium petij.] sicq. certum tempus eius ingressus in monasterium terminasse dicatur certum pariter tempus S.Romulæ ad Deum transitus,cum aliud tempus terminare non possit,quod est imperfectum,vt illud, manebat. Quo germano sensu verborum S. Gregorij accepto, dicendum est, multos illos annos,quibus Romula paralysi laborauit, ante eiusdem in monasterium ingressum,iam elapsos fuisse,post quos idem qui subsecutus est ad Deum transitus,tunc contigerit,cum ipse ingressus est monasterium.

Inferius etiam,dum non obseruas regulam quam audisti ex S.Hilario, vt verba rebus,nõ res verbis inseruiant, in alium errorem impingis,[a] vt existimes Gregorium diuturniori tempore quam tribus annis Constantinopoli munere Apocrisarij detentum mansisse, auctoritate eius epistolæ ad Mediolanensem[b] Clerum datæ de electione Constantij in ipsorum Archiepiscopum, dum hæc ait de ipso: Cum in vrbe Regia responsa Sedis Apostolicæ facerem,longo mihi tempore adhæsit.]hæc ibi. ex quibus hæc tu infers: Attende illud, longo tempore, ex quo intelligitur, multo ante octogesimumtertium annum,supra quingentesimum scilicet,eo nauigasse,& longiori tempore ibi commoratum esse.Neque enim,si ibi tres tantum annos nondum exactos egisset, eo modo loquendi vsus fuisset, & maxime illis verbis, longo tempore, ex quibus profecto verbis aperte habetur, Gregorium ante octogesimumtertium annum eo missum fuisse.] ista tu habes, pro animi arbitrio tempora mutans. Quid enim? si clericus alienæ ecclesiæ peregrinus Gregorio Constantinopoli existenti inhæsisset ad quatuor, vel quinque menses; nonne dici potuisset, longo tempore apud ipsum fuisse? Sane quidem,si de hospite quisque suo ista perpendat. Deciperis tamen,Constantine; non ait Gregorius,se longo tempore mansisse Constantinopoli, sed Constantium illum Mediolanensis ecclesiæ ibi apud se longo tempore mansisse. multum hæc enim differunt inter se, cum longe diuersos respectus habeant.

[a] pag.88. v. 12.

[b] Greg.lib.2. ep.29.Ind.11

Ceterum quod ad tempus pertinet aduentus S. Gregorij Constantinopolim, non ante annum Redemptoris quingentesimum octogesimumtertium cõtingere potuisse, ex S. Leandri illuc aduentu possumus intelligere,dum non ante prædictum annũ suborta ei est causa,vt a Rege Christiano Constantinopolim mitteretur, nempe bellum ciuile inter Catho-

licos

licos & Arianos, quod non ante præsentem annum conflatum esse, ex Gregorio Turonense demonstratum est in Annalibus. Verum præuenisse Leandrum, verba illa Gregorij in præfatione Moraliũ posita in epistola ad ipsum data, significare videntur, quibus ait: Dudum te, frater beatissime, in Constantinopolitana vrbe cognoscens, cum me illic Apostolicæ Sedis responsa constringerent, & te illuc iniuncta pro causis Fidei Regis Vuisigothorum legatio perduxisset.]

Sed videamus an firmiora sint, quæ his [a] subiungis, adducens epistolam S. Gregorij ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum datam Indictione decimatertia, qui est annus Redemptoris quingentesimus nonagesimusquintus, in qua hæc de tempore continetur: [b] Ante hos siquidem annos octo, sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij tempore, frater & Coepiscopus noster Ioannes in Constantinopolitana vrbe ex causa alia occasionem quærens Synodum fecit, in qua se Vniuersalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus vt agnouit, directis litteris, ex auctoritate Petri Apostoli eiusdem Synodi Acta cassauit. quorum videlicet exemplaria studui destinare. Diaconum vero, qui iuxta morem pro responsis Ecclesiæ faciendis, pijssimorum dominorum vestigijs adhærebat, cum præfato consacerdote nostro Missarum solemnia celebrare prohibuit &c.] ex his vero tu ista deducis: Quod si alius diuersus a S. Gregorio tunc eo fungebatur munere in Ecclesia Constantinopolitana, ergo ipse Gregorius iam recesserat ante dictum octauum, quem numerat annum.] ita quidem, sed quod subinfers, longe discrepat a veritate, dum subdis ex his inferri, redijsse inde Romam Gregorium non anno quingentesimo octogesimosexto, sed potius octogesimoquarto, vel ad summum quinto. sed vide quantum fallaris, numerum subducendo. Si enim constat ex notata in epistola Gregorij Indictione decimatertia, eam epistolam scriptam esse anno Domini quingentesimo nonagesimoquinto: plane ex octo illis annis, quos numeras ante illud tempus, inuenies illam Synodum factam esse anno Domini quingentesimo octogesimoseptimo, adeo vt nihil sit quod impediat, quin dici possit, S. Gregorium (vt habet & probat Baronius in Annalibus) redijsse ipso anno Redemptoris octogesimosexto post quingentesimum.

Subijcis [c] autem præcedentibus absurdiora, iterum sic argumentando: Sed ad aliud absurdum accedamus: Si statim e monasterio exire coactus fuit, & Constantinopolim soluere: vellem a te scire, quomodo adeo breui potuerit tam arctam consuetudinem, & necessitudinem, non sæculi blanditijs, sed Christi glutino copulatam contrahere cũ Fratribus sui cœnobij &c.] adhæc dicimus, quod præterquã tu illud, *Statim* (quod sæpe inculcas & proculcas) male noueris, quantum temporis spatium comprehendat; adhuc insuper ignorare videris, ipsum S. Gregorium etiam laicum cum suis monachis, quibus construxerat monasterium, quotidianam consuetudinem habuisse, vt de his dubitatio nulla esse debeat, cum ipse maximum se cultorem fuisse seruorum Dei, in dialogis frequenter affirmet. quomodo non assidue versabatur cum

[a] pag. 88. vers. 10.

[b] Greg. lib. 4. epist. 36. Ind. 13.

[c] pag. 89. vers. 15.

illis, quibus erexerat monasterium, quod & contiguum esset ædibus suis? Tu vero post hæc (quod dicere erubescimus, cum tu non erubueris) ista cum sint adeo perspicua, præ ingenij forte crassitudine non percipiens, ita contumeliose iurgaris, dicens: [a] Non pudet eos hæc scribere &c.] ita in multis vnum dumtaxat, qui solus dixit, Baronium ex obliquo sugillans, e cardine mentis motus a multis argueris, qui Cardinalem S. R. E. ita ignominiose non es veritus perurgere. Sed contemnit ista Baronius tui misertus, cuius monitu & nos leniter tecum agere suademur: at non ista certe te docuit Pater tuus in Regula, cum differit de gradibus humilitatis.

[a] pag. 90. vers. 6.

Ad postremum vero primæ diei dialogum hac claudis obiectione, impossibile [b] nimirum fuisse, vt tam breui spatio eius incolatus in monasterio potuerit tanta de diuinis litteris didicisse; adeo vt opus fuerit illic longiorem ætatem vixisse.] Ad ista respondemus eiusdem Gregorij Papæ doctrina, qua monstrat omnes illos, quos semel Spiritus sanctus inspirat, reddi mox ex imperitis doctissimos, dum ait: [c] Ecce apertis eiusdem oculis fidei, Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, & sanctus ipse Spiritus, qualis sit artifex, considerare volo; sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharœdum puerum, & Psalmistam facit; implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, & Prophetam facit; implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit; implet piscatorem, & prædicatorem facit; implet persecutorem, & Doctorem Gentium facit: implet publicanum, & Euangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur ad omne quod voluerit. Mox enim vt tetigerit mentem docet; solumq. tetigisse, docuisse est &c.] hæc ipse, in se ipso expertus ista, qui & in præfatione Moralium hæc de se habet: Quid igitur mirum, si intellectum stulto homini præbeat, qui veritatem suam cum voluerit, etiam per ora iumentorum narrat?] Demonstramus & hoc ipsum exẽplo in alio perinsigni Ecclesiæ Doctore, in quo maius Deus miraculum, quam in Gregorio demonstrauit, in sancto nimirum Ambrosio, quem nondum plene Christianum, sed adhuc catechumenum electum Episcopum Spiritus sanctus, mox vt sui ignis flamma succendit, conflauit in admirabilem Ecclesiæ Doctorem. Ceterum Gregorium ipsum fuisse excultum scientijs liberalibus, Gregorius Turonensis eius æqualis affirmat. Sed & ab ineunte ætate assueuisse sacris litteris, idem ipse de se ita testatur, cum in præfatione librorum dialogorum de Petro diacono ista habet: Qui mihi a primæuo iuuentutis flore in amicitijs familiariter obstrictus est, atque ad sacri verbi indagationem socius.] hæc ipse, cui tu credas. Demum vero cum maiorem partem huius primæ diei frustra contriueris in ostendendo, diu ante præfixum a Baronio terminum, S. Gregorium professum esse monasticam vitam: etiam si id tibi liberaliter concederemus: nihil certe lucraberis, vt asserere ob id posses, ipsum monachum fuisse Benedictinum. At de his modo hactenus, ad sequentis diei tuum dialogum transeamus.

[b] pag. 90. vers. 23.

[c] Greg. homil. 30.

IN SECVNDVM COLLOQVIVM.

QVod in primis in tuo ſecundo colloquio diſputandum ſuſcepiſti, vter duorum prior tempore vixerit, S.Benedictus, an S.Equitius: tractatam vberius hanc quæſtionem in Reſponſione poſt Apologeticum hunc inuenies, ex qua redargueris in multis erraſſe.

In eo autem, quod differis de S.Benedicti ætate, cum eremum petijt: miramur vehementer, quod more tuo Baronium calumnieris, dixiſſe, ſcilicet, fuiſſe iam ætate matura S.Benedictum, cum eremũ petijt. Quod ne lapſu calami dici poſſit tibi contigiſſe, ſexies minimum abs te [a] repetitum demonſtratur, cum tamen idipſum ne ſemel quidem vſquam inuenturus ſis a Baronio dictum. Siccine mendacio & calumnia rem agis, venerande S.Benedicti profeſſor, vt impingas Baronio quæ non dixit? ſed videamus an ipſe percipias, quæ velis ab ipſo dicta: non puto. Verum quotupliciter in his peccaueris, accipe. Nam præterquam quod calumnioſe aſſeris eum dixiſſe, quod non dixit, adhuc non videris vim harum vocum, *ætate matura*, aſſecutus; cum re ipſa apud bonos auctores illa dicatur matura ætas, quæ ſenilis pariter dici conſueuit; quo ſenſu te non putamus accepiſſe maturam ætatem, vt volueris maiori impudentia ſugillare Baronium, & tantum ei portentum affigere, vt dixerit S.Benedictum iam ſenẽ eremum petijſſe. Sed & in eo grauiter peccare conuinceris, quod etſi ipſe adoleſcentem ſiue adoleſcẽtulum paulo pueritia grandiorem S.Benedictum in eremum ſe contuliſſe Baronius teſtetur: ab Vrbe tamen puerum vix puberem receſſiſſe non negat: quod tu eum dixiſſe negas. legat Lector Annales,[b] & deteſtetur calumniã. Quod autem eius tunc quidem eſſet ætatis ſupra pueritiam, vt incentiua carnis vigore ſpiritus ſuperaret, idem S.Gregorius [c] his verbis oſtendit, vbi ait: Aetatem quippe moribus tranſiens, nulli voluptati animum dedit.] Quod vero inferius [d] idem S.Gregorius eumdem puerum nominat, cum primum miraculum inſtaurato fracto capiſterio edidit: id dictum ſcias a S.Gregorio more ſuo, & aſſueto vſu loquendi, quo quemlibet adoleſcentem etiam annorum viginti conſueuit puerum appellare, prout petitis ab eiuſdem ſcriptis exemplis Baronius ibidem docuit euidenter. Demum quem rurſus niſi Baronium poſtrema inſultatio tua ferit, cum ais: [e] Vbi ſunt ergo illi, qui eum maturiori ætate eremum petijſſe fabulantur?]. An non iſta ipſa de ætate puerili, quam ſugillas, Baronius profitetur, eodem nimirum anno quo dicis, ab Vrbe receſſiſſe, profecturum in eremum? hæc quidem in Sexto Annalium tomo habet ipſo anno quadringenteſimo nonageſimoquarto verbis iſtis: Hoc eodem anno magnus ille monachorum Patriarcha, Occidentalis Eccleſiæ decus Benedictus, Nurſinus patria, ab Vrbe recedens profecturus in ſolitudinem, ſublimioris vitæ monaſticæ prima iecit feliciter fundamenta.] Quod vero non ſimul ac ab Vrbe receſſit, ſtatim illam ſolitudinem petijt: idcirco paulo grandiorem pubertate id

[a] pag. 101. v. 23. pag. 111. v. 3. & 32. & alijs.

[b] Annal. to. 6 an. 494.

[c] Greg. dial. lib. 2. in præfat.

[d] Id. lib. 2. c. 1.

[e] pag. 111. v. 32.

fecisse, Baronius ex ipso S.Gregorio demonstrauit. Cur igitur, cum res ita se habeat, sic exclamas in eas quas non videas, sed mente tantum concipias, leues vmbras? vel cum ais, nescio quid somnians: [a] Si decimonono, vel vigesimo, vt ille tuus Scriptor suspicatur, supra quingentesimum eremum petijt.] sed vbi delira ista Baronius? qui quam procul ab his fuerit, consignata in Annalibus quæque tempora certis annis ostendunt. Existimasti, puto, ista quæ scripsisti, ad examen numquam reducenda, dum adeo portentosis calumnijs ipsum ornabas. Repetis & hæc inferius summo dedecore, vbi ais: [b] Qua ætate fuerit, quando se eo contulit, & quam longe a via veritatis discesserit ille, qui scripsit, eum decimonono vel ad summum vigesimo supra quingentesimum, & maturiori ætate eremum petijsse.] Potuerunt ne ista a religioso viro fingi a Baronio dicta, cum contraria his penitus asserat, cum agit de S. Benedicto tum anno Redemptoris nonagesimoquarto supra quadringentesimum, tum vigesimotertio supra quingentesimum, in quibus tractat de eiusdem sanctissimi Patris ætate? sed prosequamur reliqua.

a pag. 101. ʃ. 2.

b pag. 111. ʃ. 1.

Cum vero agis de tempore, quo vixit S. Equitius, redarguisq. contradictorem [c] tuum Bernardum, quem Baronij loco supponis, dicentem ex eo colligi, Equitium antiquiorem S. Benedicto, quod S. Gregorius primum agat de Equitio, inde vero de Benedicto; profecto si cuncta, quæ Bernardo obijcis, & dicta ab eo refellis, a Baronio asserta velis, & hæc calumnia ingens est, cum nusquam ista reperiantur a Baronio in Annalibus dicta. Quod vero negas ex Cassiodoro colligi posse, eumdem esse Basilium Magnum, de quo S. Gregorius scribit in Equitio, cum eo, de quo Cassiodorus agit: inferius in Responsione satis manifeste declaratum inuenies. De Valentij, siue Valentionis, vel Valentini Abbatis S. Gregorij diuersimodis in codicibus scripto nomine, superflua contentio est, cum de re constet.

c pag. 112. ʃ. 15.

Cum vero ex verisimili ratione Baronius argumentatus esset, S. Gregorium non fuisse instituti S. Benedicti, eo quod Scriptores antiquiores, qui ante Ioannem diaconum vixerunt, vt Gregorius Turonensis, Ildefonsus, Beda, & Paulus diaconus, cum de S. Gregorio pluribus egerint, nequaquam id dixerint aliquando, tu respondens sic eludis: [d] Neque etiam eos asserere, quod fuerit discipulus S. Equitij. at non par est ratio vtriusque. Nam etsi, quod ad alios pertinet, responsio ista valeret, tamen Paulum diaconum, qui eiusdem ordinis sancti Benedicti monachus erat, cum de S. Gregorio ageret, eiusdem Patris fuisse monachum, cuius & ipse esset, par erat asserere. Sed quod addis, idcirco dictos auctores absque aliqua expressione nominis S. Benedicti, Gregorium nuda voce monachum appellasse, quod ex ea statim intelligendum erat, illum S. Benedicti fuisse monachum, ob celebritatem nominis eius, & quod omnes monachi eo tempore sub vna S. Benedicti Regula conuenissent. Quam falsa ista sint, vt omnes monachi sub vna S. Benedicti Regula censerentur, atque etiam sub eiusdem S. Benedicti nomine appellarentur, multa exempla demonstrant. Nam in Italia, præcipue parte illa, in qua est Ca-

d pag. 132. ʃ. 12.

labria

labria & Apulia,& aliæ adiacentes prouinciæ, ordinis S.Basilij monachi fuisse noscuntur,ijq. a S.Basilij nomine appellati.quorum monasteria vsque in pręsens sęculum perseuerasse,exploratissimum est.An non & tunc vigebant monachi etiam S.Seuerini,quibus Eugipius Regulas scripsit?

At quod in his sumus, hic ostendendum est pariter, quam enormiter erraueris, dum inferius in eadem tua perstans sententia ista [a] subijcis: Multiplicia illa instituta, quæ vigebant tempore eiusdem patris S.Benedicti, eo exurgente, & formulam suam longe lateq. dilatante, adeo obliterata sunt, vt nisi a Scriptoribus, præcipue vero ab vno Gregorio de eis mentio facta fuisset, ne fuisse quidem scire possemus, cum nullum de eis nunc extet vestigium; neque solum nunc, sed neque citra annos ab hinc mille & vltra. Odofredi enim historici non ignobilis relatione habetur, vt etiam Carolus Sigonius testatur,vsque ad annum salutis nongentesimum,solos monachos Benedictinos (vt ille scribit) & Canonicos Augustinianos inter religiosos,quos vocant Claustrales,nominatos fuisse. Neque enim in Gallijs, aut Germanijs, seu Hispanijs,vel Britannia, aut Scotia,siue Hibernia,aut Sardinia,Italiave,seu Sicilia,seu alibi,vllum monachorum institutum fuit, quod ex formula sanctissimi Patris aut ab origine non fuerit, vel succedentibus temporibus illius effectum non sit.] addis his, [b] In Gallia vsque ad annum millesimum sexagesimumsextum testificatione cuiusdam, cui inhæres, nulla alia fuisse monasteria nisi Benedictina. hæc tu haud semel,sed iterum atque iterum, more tuo, inculcas & exaggeras. Dicam cum Apostolo: [c] Non est bona gloriatio vestra,] quia non vera: quod si non vera,erit plane eiusdem generis, cuius idem Apostolus meminit, dicens: [d] Gloria in confusione ipsorum.]

Tantum enim abest,vt exurgente S.Benedicto (quod tu dicis) ceteræ monachorum Regulæ obliteratæ fuerint longe lateq. in prouincijs enumeratis, vt ostendi etiam possit, eodem ipso sæculo alias recens institutas esse Regulas in Gallijs, ab illis diuersas, easdemq. mirifice propagatas. Fuit earum auctor & promulgator sanctus Columbanus Hibernus, qui anno Redemptoris quingentesimo nonagesimosecundo in Gallias migrans, Luxouium veniens, fuit Luxouiensium monachorum institutor. Cuius res præclare gestas scripsit eiusdem temporis scriptor eius discipulus Ionas, non autem Beda, vt apud Bedam mendax titulus habet: qui ea quæ de S. Columbano scripsit, a S.Gallo siue Eustathio & alijs eiusdem Columbani discipulis se accepisse [e] testatur. qui de institutis ab ipso Regulis,vbi iam duo monasteria erexisset, hæc ait: [f] Ad cuius famam plebs vndique concurrere, & se cultui religionis dicare curabat, ita vt plurima monachorum multitudo adunata vix vnius cœnobij collegio considere valeret. Ibi nobilium liberi vndique concurrere nitebantur, vt spretis phaleramentis sæculi, & præsentium pompam facultatum contemnentes, æterna præmia caperent. Quod beatus Columbanus cernens, vndique ad pœnitentiæ medicamina plebem concurrere,& vnius cœnobij septa tantam conuersantium cohortem absque difficultate non continere; & quamuis mente vna & corde vno; tamen con-

a pag. 101. ✝. 1.
b Ead. pag. ✝. 18.
c 1. Cor. 5.
d Philip. 3.
e Vit. S. Columb. c. 10. in fine.
f Ead. vit. c. 9.

conuersationi tantæ multitudinis incongrua: alium experimento locum elegit, quem aquarum irriguitas adornabat, aliudq. monasterium construxit, cui, Ad fontanas, nomen indidit, deditq. gubernatores præpositos, de quorũ religione nihil dubitabatur. His ergo in locis monachorum plebibus constitutis, ipse vicissim omnibus intererat; REGVLAMQ. quam tenerent, Spiritu sancto repletus condidit. In qua autem qualis & quantæ disciplinæ vir sanctus fuerit, prudens Lector, vel auditor agnoscit.] hæc de Regula a S.Columbano conscripta, viro quidem, sicut sanctitate eminentissimo, ita doctrina haud impare. de quo ista Sigebertus scribat:[a] Tanto sapientiæ thesauro est ditatus, vt adhuc adolescens librum Psalmorum elimato sermone scriberet, & alia multa ederet, vel ad canendum digna, vel ad docendum vtilia.] Vides ne Constantine, quantum ex his tu mendacij arguaris, & vanæ iactantiæ, dicam ne & inuidentiæ? qui nolis nisi S.Benedicti celebrari nomen, illustrari gloriam, reliquorum vero Sanctorum, qui eodem vitæ genere claruerunt, (quantum in te est) penitus obscurari; & constituas Deum inopem, qui post collata S.Benedicto diuina charismata, exhausto penu, non habuerit quæ alijs elargiri posset dona cælestia. An dices, longe impar Columbanus, qui cum Benedicto conferri possit? Non de his disputo, quæ diuinorum sunt secretorum, vt temerarius arguatur qui ista definienda susceperit; sed illud tantum ago, vt ad comprimendum tantæ arrogantiæ fastum, ostendam non solum falsum esse quod asseris, promulgatis Regulis S.Benedicti reliquas defecisse, sed alias etiam adhuc creuisse, longe lateq. fecundo germine propagatas S. Columbani Regulas esse, easdem in Cõcilio Matisconensi[b] examinatas atque probatas, diuinis miraculis confirmatas, cum aduersus earumdem impugnatores intonuit de cælo Dominus, perdiditq. omnes miserando interitu refractarios. Quas & constat percognitas paulo post ab[c] Honorio Romano Pontifice, & approbatas, eiusdemq. diplomate monachos ipsarum professores communitos. Quibus etiam repleta fuisse multiplicia monasteria Galliarum tam monachorum quam virginum feminarum, idem auctor testatur tum in Columbano; tum etiam in alijs sanctis Attala, Bertulpho, Eustathio, & Burgundophora, quorum res gestas omni fide conscripsit ipse eius ordinis tunc viuens monachus obseruantissimus Ionas: quę si legeris, plane intelliges quantum peccaueris, cum stylo tuo ita perfunctorie nullius præter S.Benedicti Regulas post earum promulgationem viguisse es conatus asserere. Scies pariter, S.Columbanum S.Benedicto non imparem, in aliquibus apparere præstantiorem, dum grauiores est passus a Regibus persecutiones: fuisse pariter in sanctitate discipulorum æque felicẽ, in miraculorum editione æque præstantem. vt si alter magnitudine superet, alter numero vincat. His vero magis persuaderis, si perlegas insignia facta S.Galli eiusdem S.Columbani discipuli, quæ Vualfridus Strabo[d] summa diligentia perquisita, accurate conscripta, posteritati digna memoria tradidit duobus libris elucubratis. Ista dixerim & prædicauerim, non (vt fortasse tu senties) in S.Benedicti, eiusq. ordinis detractionem,

a Sigeb. de illustr. eccl. Script. c. 60.

b Ionas in Eustathio.

c Idem in Bertulpho.

d Apud Sur. to. 5. die 16. Octobr.

ctionem, immo in maioris gloriæ argumentum (etenim charitas congaudet [a] veritati: cum & in beata illa communione Sanctorum, alter alterius meritis glorietur vt proprijs:) sed vt ita styli nostri acumine, veluti chirurgo ferro, turgens sanie apostema pungens, contractum intus arrogantiç virus foras erumpat, & ita ingenti morbo cureris. Addiderim adhuc insuper, ne quoquo modo aduersus adeo patentem testificationem Ionæ, de sancitis a Columbano Regulis monachorum, dicere possis (quod tibi in more est) easdem acceptas fuisse ex S. Benedicti Regulis: ex ijs vnam recitabo, vt omnem prorsus mentiẽdi tibi auferam occasionem. Ionas igitur in S. Burgundophoræ vita, quam scripsit, hæc habet: Erat enim consuetudinis monasterij & Regulæ, vt ter in die per confessionem vnaquæque earum mentem purgaret, & qualemcumque rugam mens per fragilitatem attraxisset, pia proditio ablueret.] hæc ipse. Porro Regulam istam inter S. Benedicti Regulas nequaquam inuenies, vt scias Regulas Columbani diuersas fuisse a Regulis Benedicti, sicut & alias, de quibus actum est in dicto Concilio Matisconensi; cum tamen in ijs, quæ sunt præcipua ordinis, omnes Patrum Regulæ siue Orientalium, siue Occidentalium, in vnum simul conueniant. Ad quod significandum Benedictus quidam his temporibus proximus Abbas, commentarium eodem argumento conscripsit, de quo ista Sigebertus [b] habet: Benedictus Abbas scripsit ad monachos librum, quem vocauit, Concordiam Regularum, multorum Patrum Regulas Regulæ S. Benedicti conferens, vt nulla Patrum Regula a Benedicti Regula discordet, immo Benedicti Regula Regulis omnium Patrum concordet, ostendit.] Arguendus vero fur & expilator Trithemius, qui Columbanum cum suis inter Benedictinos annumerat.

a 1. Cor. 13.

b Sigebert. de illustr. Script. eccl. c. 62.

Post hæc autem quo negare posses, Valentionem ex Valeria prouincia monachum institutorem fuisse S. Gregorij (quod idem ipse in dialogis sæpe testatur) eo confugis, vt absque auctore aliquo, sed tua coniectura tantum afferas, dialogorum [c] S. Gregorij textum a Græcis monasterium postea incolentibus esse corruptum, & loco Hilarionis ab eis positum Valentionem, vt legitur hodie in antiquis codicibus. ista adeo delira suade deliris. Sed demus a Græcis factum esse, quod dicis, vt loco Hilarionis, eo ab eis abraso nomine, sit subinductum nomen Valentionis: vbi locorum id factum asseris? In ipso, dicis, monasterio S. Gregorij in Vrbe posito ad Cliuum Scauri, cum in eo habitarent Græci. Demus, inquam, volumen illud fuisse reuera deprauatum a Græcis: cetera vero per orbem Occidentalem ac etiam Orientalem sparsa dialogorum volumina, quorum exemplaria, viuente adhuc ipso S. Gregorio cœpta sunt describi, & ad diuersos mitti, & inter alios ad Theodelindam [d] Reginam Longobardorum: num illa omnia dixeris deprauata, cum in omnibus illis exemplaribus siue originarijs, siue ab illis descriptis, quæ hactenus reperiuntur, non nisi Valentio legatur, Hilario vero in nullo eorum? Doce, si potes, Græcos illos monachos vniuersum perlustrasse orbem, omniaq. exemplaria nactos esse, eademq. singula corrupisse. sed nec tamen adhuc

c pag. 145. v. 30.

d Paul. diac. lib. 4. c. 5.

huc satis ista, nisi in ipsis antiquioribus codicibus ostendisses membranæ læsionem in abrasione Hilarionis nominis factam. Sed quod inconsulte ista abs te, veluti accepta somnio ingeruntur: dicas quæso, quænam causa ad codicum omnium deprauationem Græcos potuit impulisse, vt nomine Hilarionis expuncto, & Valentionis subrogato, vendicarent sibi Gregorium, vt suspicaris? Nonne magis ipsis opportunum cessisset, legi Hilarionē, quam Valētionem? namquis nesciat, nomen Hilarionis, præsertim quoad monachos, ex magno illo Hilarione, cuius vitam S. Hieronymus scripsit, propagatum videri potuisse, quo Orientales omnes exultant? Valentionem quis ignorat nomen esse Latinum, & a Valente, sicuti Crescentionem a Crescente, & alia his similia deriuatū? Quomodo ergo non aptius & commodius Græcis ad perficiendum, quod eos dicis optasse, nomen fuisset Hilarionis, quam Valentionis?

a pag. 145. v. 21. Sed tu addis, [a] id ab eis factum, quod vulgatum esset nomen Hilarionis institutoris S. Gregorij, monachum fuisse ordinis S. Benedicti. sed quo id auctore vulgatum? nulla certe doceri potest, nisi Ioannis diaconi auctoritate. at nonne ante eumdem Ioannem tu ponis Græcos deprauatores nominis Hilarionis? sed facessant ludicra ista, quæ sciant omnes,

b pag. 148. v. 20. iure quidem a nobis deliria appellata. Quod vero subijcis [b] de Italiæ monachis, eos tunc temporis non militasse sub S. Basilij Regulis: de his in Responsione ad alium ex tuis monachis prolixior erit sermo.

Iam vero maximi momenti aggrediar quæstionem, in qua cupio Lectorem attentum, eo quod differendum sit de falsitate citatæ ab eo cuiusdam epistolæ a nobis hic recitandæ, quæ si abs te germana ostendi potuisset, tibi sine controuersia cedendum fuisset. Affers num-

c pag. 149. v. 7. quam hactenus visam epistolam [c] nomine cuiusdam Bernardi Abbatis monasterij S. Honorati ad Simplicium Abbatem monasterij Cassinensis: quam ab ipso eius titulo redarguere incipimus imposturæ. sic enim se habet:

Reuerendissimo monachorum patri Simplicio Bernardus Abbas Monasterij apud Fundanam Vrbem obedientiæ subiectionem.] Ita inscriptio: ex qua quidem statim subodorati sumus imposturam, quam vt inuenire possemus, sagaci studio laborauimus. inuenimus tandem, Deo fauente, vindice veritatis. Quod igitur in primis ad epistolæ inscriptionem pertinet, ob ipsum nomen scribentis Abbatis, Bernardi scilicet, & aliud quod in ipsa epistola legitur nomen Hugonis, eam possumus redarguere commenticiā, eo quod dicta nomina tempore Gregorij nondum introducta noscantur. Vnde intelligi possit ipsam epistolam confictam postea ab aliquo fuisse recentiore auctore, qui vixerit eo tempore, quo nomina hæc vsu recepta fuerunt. quisnam autem iste impostor fuerit, non inquiro; te tamen libero, Constantine, tibi credens, inueniri eam in antiquo codice Cassinate. Quisquis autem ille fuerit, dignus plane fuisset, qui ad tribunal ecclesiasticum delatus, illud luisset de falsitate supplicium, quod tempore Pij Papæ Quinti irrogatum vidimus in Ciccarellum quemdam impostorem, qui cum pro animi arbitrio id genus

nos monimentorum fingere conuictus fuiſſet, traditus Curiæ ſæculari, laqueo luit pœnas, ipſius etiam cadauere flammis abſumpto. At præter hæc, quæ diximus de falſis nominibus, quænam alia grauiſſima ſuppetant argumenta ad redarguendam impoſturam, iam in medium afferamus: ſed primum hic ipſam, prout abs te in tuo ſecundo colloquio cuſa legitur, reddamus epiſtolam, quæ ſic ſe habet poſt recitatam ſuperius inſcriptionem.

Experientia compertum eſt multorum, Rectorum mores varias viuendi normas in monaſterijs peperiſſe. Hinc factum eſt, vt iam omnia monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ, & aliarum prouinciarum Italiæ certam & rectam regulam viuendi, quam ſanctiſſimus & Deo acceptiſſimus Benedictus magiſter tuus inſtituit, ſeruare decreuerint, vt iuxta illam viuentes, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinare præſumant. Hanc ego ſeruandam propoſui huic Congregationi, cum nuper me in ſuum Abbatem elegerit indignum. Quam cupientes in hoc monaſterio, ſicut in Caſſinenſi monaſterio, obſeruare inuiolabiliter, decreuimus ad ſanctitatem veſtram deſtinare religioſos ex eadem Congregatione viros, Hugonem & Paulum Fratres noſtros, iuxta prædictam ſanctam Regulam, & obſeruantiam plenius inſtituendos in Caſſinenſi ſancta Congregatione. quos commendatos apud paternitatem tuam humili obſequio rogamus. Datum in monaſterio prope Vrbem Fundanam VII. Kal. Aprilis.] ita deſcripta & recitata abs te epiſtola, cuius artifex ſubdolus (quiſquis ille fuerit) id ex ea voluit poſſe probari, iam ipſo tempore Simplicij Abbatis, ad quem data habetur epiſtola, prouinciæ Valeriæ monachos ſub S. Benedicti Regula profiteri cœpiſſe, ſicq. Valentionem illum primum Abbatem & inſtitutorem S. Gregorij monachum fuiſſe Benedictinum. ita quidem. Si enim vera fuiſſe oſtendi poſſet epiſtola, iam cauſa tota eſſet euicta, ac perorata, tibiq. Conſtantine, adiudicata; ſed quoniam manifeſtæ conuincitur falſitatis, te eadem cauſa cadere, certum eſt.

Scias itaque, non ſolum ex dictis illis duobus nominibus adſciticijs, Bernardo & Hugone, reddi epiſtolam hanc tuam de impoſtura ſuſpectam, immo conuictam; ſed idipſum a nobis demonſtrandum longe euidentiori argumento, quo quidem tu ipſe conſtrictus, atque omnino conuictus idem aſſerere, (niſi priuatus affectus mentem obnubilet) idipſum fateri cogaris, & exclamare etiam tu ipſe, zelo veritatis incenſus, aduerſus huiuſcemodi nebulonem, tanti ſceleris architectum, etiam ſi renueris, a conſcientia compellaris. Nam ſi oſtendero ante annos decem & octo exciſum fuiſſe Caſſinenſe monaſteriũ, quam potuerit ea epiſtola ad Simpliciũ ſcribi: plane falſam illam eſſe affirmare cogeris, quæ ſcripta dicitur ad Simplicium in monaſterio Caſſinenſi commorantem.

Accipe igitur certam rei demonſtrationem omni teſtificatione maiorem, non ab alio auctore quam ab eo, qui eodem tempore vixit, eiuſdem ordinis ſanctiſſimo monacho allatam, eodemq. diſcipulo S. Benedicti, Fauſto ſcilicet dico, ſinceriſſimo S. Mauri vitæ ſcriptore, cuius in

E primis

primis assertione illud constat, Simplicium æque discipulum S. Benedicti, datum fuisse comitem ab eodem Patre sanctissimo ipsi Mauro in Gallias proficiscenti, vbi vna cum eo etiam iugiter permaneret: quod & præstitit vsque ad ipsius Mauri obitum, necnon Bertulphi Mauri successoris, qui duobus post Maurum superuixit annis. Inde vero vna cum eodem Fausto, (vt ipse in præfatione testatur) est reuersus ad suos, ex quibus egressus fuerat, monachos Congregationis Cassinensis tunc Romæ in Laterano commorantes. Sed quoto anno Redemptoris id acciderit, ex eiusdem Fausti supputatione in fine vitæ ipsius Mauri facta sic accipe, ab ipso rerum principio ab eodem auctore ita deducta: [a] Oblatus est, inquit, Maurus beato Benedicto; habitauit cum eo annos viginti.] sicq. inde ab eo recessisse oportuit anno salutis quingentesimo quadragesimotertio. nam in confesso est apud te [b] ipsum absque dubitatione aliqua, ex Leone Ostiense & alijs, anno vigesimotertio post quingentesimum oblatum fuisse a patre suo Eutychio S. Benedicto Maurum ipsum. His itaque si addas annos illos viginti cōmorationis cum eo, vtique (quod dictum est) salutis anno quadragesimotertio post quingentesimum, asserere opus est, ipsum S. Maurum a S. Benedicto in Gallias esse missum. Adijce rursum huic numero annos quadraginta & vnum, quibus cum Mauro vixisse, vsque ad obitum scilicet ipsius Mauri, Simplicium, Faustus affirmat, atque his adde annos duos vitæ Bertulphi successoris Mauri, quibus retēti ab eo sunt ambo Simplicius atque Faustus, antequam recedere possent ex Gallia in Italiam: fiet omnino annorum numerus octogintasex supra quingentos, quo scilicet anno Faustus & Simplicius sunt ex Gallia reuersi ad suos Fratres Cassinensis Congregationis monachos, non autem ad Cassinense monasterium; quia iam ante destructum fuerat anno salutis (vt tu ipse etiam constanter asseris) quingentesimo septuagesimooctauo: [c] quo ex tempore vsque ad reditum Simplicij atque Fausti anni numerantur decem & octo. Si ergo Simplicius toto illo tempore mansit in Gallijs, nec reuersus est inde, nisi elapsis annis decem & octo post destructum monasterium Cassinense, nempe anno octogesimosexto post quingentesimum: quomodo potuit ille Bernardus Abbas monasterij S. Honorati misisse duos illos monachos ad Cassinense monasterium ad Simplicium instruendos, si neque tunc extabat monasterium Cassinense, iam ante decem & octo annos excisum? Quid ad hæc Constantine dicis? vera sunt ne ista, quorum tantus testis est auctor, eiusdem S. Benedicti charus alumnus Faustus, cuius verba & scripta omnes vt diuinum oraculum consueuerunt accipere? Detestare igitur mecum detectam de falsa epistola imposturam, labora vt flammis vltricibus detur, quæ adeo vestram honestissimam Congregationem infamat, Fausto ipso S. Benedicti discipulo vindicem aduersus eam agente.

Sed quomodo tu ipse in alijs etiam pluribus magnopere atque multipliciter ex ijs, quæ ex Fausto sunt allata, redarguaris, quæ quidem miramur abs te non esse considerata, accipe. Ac primum dum vis Simplicium

[a] Apud Sur. die 15. Ian.

[b] pag. 100. ℣. 26.

[c] pag. 170. ℣. 22.

plicium hunc tertium fuisse Abbatem post S. Benedictum in monasterio Cassinensi, cum tamen (vt expresse habes ex Fausto) ipse Simplicius numquam sit reuersus ad suos, nisi post annos quadraginta tres a profectione in Gallias, atque post excisum monasterium Cassinense annis decem & octo: Redargueris rursum a Fausto, cuius & auctoritate conuinceris, quod male sis interpretatus verba S. Gregorij,[a] de Simplicio, a quo de vita S. Benedicti pleraque acceperat conscribenda, sic loquentis: Simplicio, inquit, qui Congregationem illius post eum tertius rexit.] interpretatus, inquam, Simplicium post S. Benedictum fuisse tertium Abbatem monasterij Cassinensis: cum tamen ex his, quæ dicta sunt ex Fausto res oculis spectante, appareat manifeste, id quod dicit S. Gregorius; post eum tertius rexit,] relationem habere non ad S. Benedictum, sed ad Valentinianum Lateranensem Abbatem, Ac licet post Valentinianum ponatur ab eodem Fausto in præfatione Theodorus tertius Abbas, id accidit ex diuersa ratione & ordine numerandi, nimirum quod ab ipso Valentiniano inceperit Gregorius numerare; Faustus ab eo, qui post Valentinianum primo loco successit: alias inter Faustum, & S. Gregorium magna fieret discrepantia. Tertio vero loco generatim es redarguendus a Fausto, dum in supputatione tam Abbatum Cassinensium, quam Lateranensium, in qua tantopere laboras, mirum in modum errare conuinceris idem tu ipse, qui in Baronium ex perperam facta eorumdem Abbatum supputatione petulanter adeo insultasti. fortasse dicturus es more tuo, ista nos dicentes, vniuersam conuellere antiquitatem. At nos contra dicimus, velle eam statuere, atque etiam restituere, ipsa nempe veterrima veterum in lucem prodere, quæ scripta reperiantur ab antiquo S. Benedicti discipulo Fausto, eiusq. auctoritate reliquos redarguere oscitantiæ, quod in peruestigandis antiquis scriptis adeo tepuerint, atque cœcutierint.. Vt sic intelligant omnes, vnum nostrum hoc esse studium, ipsam antiquitatem adeo obscuratã elucidare.

Sed accipe adhuc a Fausto correctionem quartam, qui ex eo etiam te redarguat, quod mendaciter illum citas, quasi asserat, post Valentinianum fuisse Abbatem Lateranensem Gregorium quemdam:[b] sunt enim hæc tua verba: Cui, Valentiniano, successisse Gregoriũ quemdam, tradit Faustus in vita S. Mauri.] hæc tu ipse: at in vita Mauri a me sæpe perlecta nihil tale potui reperire. Siccine bona fide rem agis, vt non falsos tantum testes, sed falsas etiam testificationes adducas? Faustus igitur tuus pater, tuus corrector insurgat, teq. redarguat, quod patrem decet, amanter.

Etsi autem, redarguente Fausto, qui ea, quæ vidit (vt testatur ipse) conscripsit, errasse conuinceris tam recensendo Cassinenses Abbates, quam etiam Lateranenses: veniale tamen sit tibi, quod alijs præuijs, quos es secutus, errantibus, tu quoque in eamdem erroris foueam tractus, cum ipsis errasti.[c] Siquidem Paulus diaconus primus erroris huius signifer reperitur, dum ita ante te numerauit successionem Abbatum Cassinensium; quem secutus est postea Leo Ostiensis.[d] Vixit ille, scrip-

[a] Lib. 2. dial. in princip.

[b] pag. 169. vers. 10.

[c] Paul. diac. lib 4 c. 6. in nou. c. 18.

[d] Leo Ostien. Chron. Cass. lib. 5. c. 2.

sitq. temporibus Caroli Magni, annis post S.Gregorium pene ducentis; iste vero post annos quingentos ab eodem Pontifice. Hos & alios scimus esse secutos, Paulo diacono inhærentes, qui quidem deceptus esse noscitur ex ambigua sententia verborum Gregorij, relatione ab eo facta ad Benedictum, quam ad Valentinianum proxime positum esse reuocandam ex his, quæ scripsit Faustus, apparet. Qui vnus instar omnium nobis sit, vt qui oblatus S. Benedicto septennis, coaluit cum ipso, crescens cum annis pariter & sapientia, apud quem permansit vsque ad tempus profectionis S.Mauri, quando (vt dictum est) vna cum ipso, atque Simplicio, alijsq. collegis in Gallias missus est, vbi permansit vna cum eodem Simplicio vsque ad obitum S.Mauri atque Bertulphi, post quem eumdem Simplicium redeuntem in Italiam dicto tempore est secutus; qui cum & eiusdem Simplicij peregrinationis, & stationis, profectionis, & reuersionis comes fuerit indiuiduus: plane de rebus Simplicij perdiscendis, nemo erit qui cum Fausto veniat comparandus: ita vt neque si vniuersus orbis in contrariam sententiam conspiret, aliquid Fausti fidei detrahi possit, quæ præ tanti viri dignitate, a nemine hactenus fuerit in dubitationem, vel controuersiam deducta. Quod vero haud, vti par erat, habita ratio est a legentibus de tempore Simplicij mansionis in Gallijs, & in Italiam reditus; euenit vt de eodem Simplicio etiam grauissimi auctores errauerint.

Ad excusationem vero Pauli diaconi, & aliorum, qui eum sequuti ponunt Simplicium tertium Cassinensis monasterij Abbatem, primum dico ac repeto, Paulum ipsum, & ipsi inhærentes ex eo deceptos, quod S. Gregorius nominauerit eum tertium Abbatem, ita exstimantes tertio loco successisse S.Benedicto. Inde vero ijdem ex eodem Fausto in præfatione ad vitam Mauri ex ijs, quæ proxime recitabimus, decepti quidem fuisse noscuntur, cum putarint, ipsum asseruisse, eumdem Simplicium reuersum ex Gallijs in Italiam ad monasterium Cassinense; sicq. cum eum S. Gregorius appellet tertium Abbatem, quem Faustus asseruerit Cassinum redijsse: absque aliqua ambiguitate visum est, esse dicendum, Simplicium tertium fuisse Cassinensem Abbatem. Excusatione plane dignus error, vt senties, cum audieris quæ a Fausto in dicta præfatione ad vitam Mauri narrantur. Ipse enim ibidem agens de suo reditu vna cum Simplicio ex Gallijs in Italiam, hæc ait: Ego itaque cum longe post transitum egregij Confessoris Benedicti magistri nostri, operum mirabilium patratoris, sepulto iam beatissimo Mauro & duobus comitibus nostris Constantino, & Antonio, ad nostrum monasterium, vltimam iam pene agens ætatem, vna cum Simplicio, iuxta mandatum beati Mauri, fuissem regressus: compulsus ab omnibus Fratribus Congregationis Cassinensis cœnobij, de quo profecti fueramus, &c.] subdit enim, quomodo ab eiusdem monasterij monachis rogatus, scripserit vitam S.Mauri. Ista tu audiens, Lector (rogo te) nonne his suasus, firmiter animo concipis, eosdem Faustum & Simplicium redijsse vnde missi fuerant a S.Benedicto, ad monasterium Cassinense? Vtique plane, dices; cum

cum id viſus ſit idem auctor aſſeruiſſe verbis illis: Ad monaſterium noſtrum regreſſus, compulſus ab omnibus Fratribus Congregationis Caſſinenſis cœnobij, de quo profecti fueramus.] Sentirem, fateor, hoc ipſum & ego, niſi alia euidentiora obſtarent omnino: neque ab iſta mea ſententia dimoueret, quod idem Fauſtus mox ſubdit, ſe etiam a Theodoro Abbate monaſterij Lateranenſis fuiſſe rogatum, vt de vita S. Mauri hiſtoriam ſcriberet. Nam nihil prohibet, quin a diuerſis, diuerſiſq. locis atque temporibus potuerit idem Fauſtus eſſe rogatus, vt faceret: ſentirem, inquam, & ego idipſum, atque ſic errarem cum illis, niſi exacta temporis diſquiſitio, ne in eumdem errorem impingerem, veluti in tenebris lux veritatis, tamquam admota lucerna fulſiſſet.

Quænam autem iſta lux fuerit, ſuperius eſt demonſtratũ, nempe certa temporis ratio, ex ſupputatione annorum per eumdem Fauſtum ex notis multiplicibus comparata, qua abſque vlla penitus dubitatione reperitur, eorumdem Fauſti & Simplicij ex Gallijs in Italiam reditum contigiſſe poſt decem & octo annos ab exciſo a Longobardis Caſſinenſi cœnobio, ita vt non potuerint ipſi vllo pacto in idem cœnobium ad ſuos Caſſinum eſſe reuerſi, ſed potius Romam ad Lateranenſe cœnobiũ, quo omnis beata Congregatio illa Caſſinenſis poſt deſtructum monaſterium Caſſinenſe confugerat, idq. non ante annum Redemptoris quingenteſimum octogeſimumſextum; ſicq. tota illa deſcriptio Fauſti, qua ait, ſe cum Simplicio ad ſuum monaſterium eſſe reuerſum, de quo profecti fuerant, ſit intelligenda non de loco, ſed de perſonis ipſius loci, nempe de Congregationis Caſſinenſis Fratribus. Qui autem iſta haud adeo accurate conſiderarunt, mox in eam ſententiam abeuntes putarũt omnino, cum Fauſto Simplicium Caſſinum eſſe reuerſum, ibiq. Abbatis munere tertio loco poſt S. Benedictũ eſſe perfunctũ. Fuit horum primus (vt dictũ eſt) auctor omnium Paulus diaconus, qui ſecum traxit reliquos omnes, qui eadẽ de Simplicio aſſeruerunt, nec aliunde, quam ab eodẽ accepta. Idipſũ diſertis verbis Trithemius affirmauit, eoſdẽ ſcilicet Fauſtũ atque Simplicium eſſe reuerſos a Gallijs in ipſum Caſſinẽſe cœnobium. Nam audi quid dicat primum in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, cũ agit de Fauſto: [a] Mortuo ſancto Mauro, ad montem Caſſinum reuerſus eſt.] & in libro de viris illuſtribus de ambobus eãdem iſtis verbis: [b] Mauro defuncto, Fauſtus & Simplicius ad cœnobium Caſſinenſe ſunt reuerſi, cum iam prope vltimam agerent ætatem.] hæc ipſe, ſed errans.

[a] Trith. de Script. eccleſ. c. 2.
[b] Idem.

Qui autem primus omnium eiuſmodi perueſtigauit & inuenit errorẽ, nempe fieri non potuiſſe, vt ijdem Fauſtus atque Simplicius ex Gallijs poſt tot annorum curricula reuerſi fuerint in monaſterium Caſſinenſe, quod id ratio temporis (vt dictum eſt) prohiberet, vt ſæpe ſuperius demonſtratum eſt; fuit Petrus diaconus Caſſinenſis, qui (vt par erat) nequaquam hos voluit reuerſos eſſe Caſſinum, ſed Romam in Lateranenſe cœnobium, & prudenter quidẽ. Sed qui non, vt debuit, quem inuenit, correxit errorẽ: grauius inde errauit & ipſe. Qui primus poſt annos quingentos & amplius a tẽporibus Fauſti atque Simplicij abſque aliquo præ-

uio assertore, pro animi arbitrio, duos excogitauit fuisse Simplicios, alterum scilicet tertium Abbatem monasterij Cassinensis, alterum vero collegam Fausti ex Gallijs, reuersum Romam ad monasterium Lateranense, sicq. vnum eumdemq. fecuit in duos. Sed quo auctore, qua testificatione, cuius assertione antiquioris? nullius penitus. Nemo enim toto illo decursu quingentorum annorum inueniri vsquam potest, qui duos fuisse Simplicios dixerit, eiusdem temporis monachos praeclaros discipulos Benedicti: licet ipse vltimo illo compendioso volumine, quod scripsit de viris illustribus Cassinensibus, visus est correxisse errorem, cũ in eo non nisi de vno Simplicio meminerit,[a] cum tamen in duobus tractatibus, quos antea scripserat, duos finxerat sibi Simplicios, in opusculo inquam, quod inscriptum est, Ortus & vita Iustorum cœnobij Cassinensis.] atque in tractatu, cuius est inscriptio, Sermo in Octaua S. Benedicti.] quos ante librum illum de viris illustribus fuisse conscriptos, ex eo redditur manifestum, quod in fine eiusdem opusculi, dum suas lucubrationes recenset, eorumdem meminit a se scriptorum voluminum. In quo cum (vt diximus) non nisi vnum Simplicium agnoscat, & non, vt ante bis fecerat, duos constituat, videri potest a sententia discessisse, quam quidem haud firma ratione asseruisset, dum ex sepultura ipsius id conatus fuerit demonstrare.

[a] Petr. diac. de vir. illust. Cass. c. 5.

Quam autem ea quae recitat sint infirma, tu Lector, attende: ait enim in opusculo illo, cuius est titulus, De octaua S. Benedicti.] cum agit de inuentione eiusdem venerandi corporis: Eodem siquidem tempore, quo Ecclesiae speculum Desiderius eamdẽ renouabat ecclesiam, cum tres non integras vlnas fodisset, die octaua eiusdem sanctissimi Patris: subito ignorantibus cunctis sepulchrum inuenit, in quo tanti Patris conditus retinebatur thesaurus. Statim vero terraemotus factus est magnus, odoris quoque extitit tanta suauitas, vt omnes simul maximo pauore stuperent: mons etiam totus ab imo vsque ad summum quatiebatur; decem namque & septem vicibus eo die a terraemotu concussus est: super sepulchro quoque in dextero latere altaris laterem reperit, nomen eiusdem Confessoris continentem.] & narratis ijs, quae tunc accidisse ait, miraculis, ista subijcit: Aduesperascente vero die, a venerabili patre Desiderio deputati sunt quã plurimi Fratres, qui vigilias tota nocte iuxta sanctissimi Benedicti corpus celebrarent. Cumq. omnes alij egressi fuissent, Gregorius eiusdem ecclesiae Paramonarius dixit: Si aequum vobis videtur, sacratas reliquias, antequam dominus Abbas veniat, inspiciamus. Quod dictum dum placuisset omnibus; accedentes ad locũ, inuenerunt super sepulchrũ sindonem expansam candidissimam, quae cũ tangebatur, euanescebat. leuantes autem lapidem, inuenerunt duas sepulturas, in quibus hoc ordine reliquiae positę erant. Loculus erat marmoreus in dextera parte sepulchrorum longitudinis quatuor pedum, & latitudinis pene duorum, in quo ossa patris sanctissimi Benedicti, & sororis posita erant. In sinistro autẽ sepulchri latere loculus erat ligneus positus, in quo caro eius posita erat. positi autem fuerant ita: capita

corum

eorum contra chorum, pedes contra altare sancti Baptistæ Ioannis habentes. Iuxta pedes vero eorum inuenerunt sepulchra, in quibus Carolus sanctus, & Constantinus, & Simplicius requiescebant. A dextro autem altaris latere Benedictum patrem sanctissimum, a sinistro beatam Scholasticam inuenerunt.] subijcit de sublato S. Benedicti dente per Gregorium. Sed & alia, quæ tunc accidisse tradit, narrat miracula: at hæc satis a nobis sint recitata de his quæ ad Simplicij corpus pertinent, de quo est disceptatio, quod ex eius sepultura Petrus arguat Simplicium Abbatem fuisse monasterij Cassinensis.

At hæc an in omnibus vera sint: appello in primis Leonem Ostiensem, qui tunc tẽporis viuebat, & ea quæ tunc contigerunt videbat, & quam exactissime describebat, studiosissimus Desiderij Abbatis, tunc eamdem basilicam innouantis: appello, inquam, præcipuum vestrorum historicorum, ne refractarius nimis rerum vestrarum existimer. Quisnam nobis succẽseat, si quæ vestri dixerunt, ijdemq. auctoritate præstantiores, adducam in medium, ad confutanda ea quæ Petrus scripsit, vel alius nomine eius supposuit, qui necdum eo tempore natus erat? Leo igitur Ostiensis, dum de his agit, quæ tunc contigerunt, cum veteri destructa basilica, noua est ædificata, cuncta diligenter stylo prosequens, vbi venit ad effossum S. Benedicti sepulchrum, singula quæ tunc sunt facta recensens, hæc habet de inuẽtione tumuli S. Benedicti: [a] Interea dum adytum ad planitiem ecclesiæ, quæ cubitorum fere sex putabatur, consequenter disponeret: tres vlnas non integras fodiens, subito Benedicti patris venerabilem tumulum reperit. Moxq. cum religiosis viris communicato consilio, ne illum omnino mutare præsumeret, ne quis aliquid posset de tanto thesauro surripere: tumulum ipsum eodem, quo situs fuerat loco, pretiosis iterum lapidibus texit, ac desuper arcam Pario marmore in transuersum basilicæ, idest, a Septemtrione in Meridiẽ, quinque per longum cubitis, opere præclaro construxit. Hoc itaque modo adytus in priori eminentia perstitit, ita vt a pauimento ipsius ad pauimentum ecclesiæ gradibus octo descendatur sub fornice scilicet maxima, quæ eidem adytui imminet, præter illum gradum, quo ad altare subitur, &c.] [b] prosequitur enim reliqua sigillatim eodem quo facta sunt ordine, vt nihil voluisse præterire visus sit, vt prudens Lector intelliget, si consulat ipsa.

[a] Leo Ost. lib. 3. c. 26.

[b] Id. lib. 3. c. 27.

Qui & inferius, dum agit de ipsius basilicæ dedicatione, deq. consecratione S. Benedicti altaris, post alias diuersorum Apostolorum, & Sanctorum reconditas ibi reliquias hæc addit: [c] Duo etiam argentea scrinia, plurimis Sanctorum referta reliquijs intra ipsum altare honorifice sunt in marmore superiori suspensa, quæ reuerendissimus Papa Benedictus ob amorem & reuerentiam sanctissimi patris nostri Benedicti de sacrario Lateranensis palatij sumpta ad Cassinensem direxit ecclesiam, &c.] & ne quis dicere posset, ijsdem scrinijs contenta fuisse ossa Simplicij, quorumnam Sanctorum illæ reliquiæ fuerint, sigillatim inferius narrat.

[c] Ibid. lib. 3. c. 25. in fine.

At

At vbinā mentio apud eumdem Leonē de adinuentis & collocatis ibidē tribus alijs ſepulchris, nempe Carlomanni, Conſtantini, atque Simplicij? inſuper vbi mētio ibi, quod non vnum ibi ſed duo ſint inuenta ſepulchra, alterum quo S. Benedicti oſſa, alterum quo caro eius (vt ait) poſita erat? certe quidē non niſi de vno tumulo, eodemq. S. Benedicti, Leo qui aderat, ſcribit: pręſentem enim ſe illa omnia inſpexiſſe teſtatur, cū tamen reliqua cuncta longe minoris momenti, quæ tunc ſunt facta, memoriæ perpetuæ tradere minime prætermiſerit. Præterea quomodo ſub vno altari (vt eſt Petri aſſertio) inuēta ſunt quinque ſepulchra? Vel quomodo tantopere (vt idē Leo ſæpe [a] teſtatur) eſſe potuit dubitatū, num illic eſſet corpus S. Benedicti: ſi quoties ſingulorū illorum triū Beatorum corpora illuc fuerunt illata, toties oportuerit ipſum altare detegi, & tumulum ipſius S. Benedicti perſpicuum reddi omnibus intuentibus? Vel quonam pacto paulo poſt Vrbanus Papa ſucceſſor ipſius Deſiderij in Pontificatu, potuit adhuc dubitaſſe, (quod ipſe Petrus diaconus ſcripſit: [b]) cum Caſſinum petijt, an illic corpus S. Benedicti reconditum eſſet, vt oportuerit eum diuinitus facta apparitione reddi certum ſi adeo patens nuper facta fuerat tot miraculis ipſius detectio ſepulturæ? Vel quomodo tot tāta ſigna illa coram edita ab ipſo Leone Oſtienſi potuerūt prætermitti, vt nec nutu ſaltem eorumdem vllo pacto meminerit, qui longe minora de eodem S. Benedicto facta miracula ſcribere non prætermiſit? Sed & quanam ratione, qui nouæ eccleſiæ ſingula altaria dedicata recenſet, & ſingulas in eis ſingulis Sanctorum reliquias collocatas enumerat, trium illorum corporum, quæ tunc cum S. Benedicto eſſent inuenta, nullā penitus habuerit mentionem? Rurſum quod ad terræmotum pertinet: potuit id neſciſſe qui aderat Leo Oſtienſis, vel ſilentio rē tantam præterijſſe, qui inferius, quando reuera contigerit terræmotus ille longe poſt eamdem extructam & dedicatā baſilicam, cum domus extrueretur, meminit hiſce [c] verbis, quibus idem Petrus manifeſti mendacij arguatur? Tantam vero, dum iſta foderentur, fundamenta domus ſcilicet, experti ſumus terræmotus vim, vt vna die decem & ſeptem vicibus, alijs vero diebus bis, ter, quaterq. ac ſæpius etiam per ſingulos dies ſentiremus. Quod certe propter innumeras eiuſdem loci ſepulturas, neceſſario tunc violatas, quæ ſanctorum forte hominum fuerant, multis tunc contigiſſe putauimus: nam raro alias hoc loco contingere ſolent terræmotus.] hæc Leo. quibus mendaciſſimus conuincitur Petrus.

Hæc igitur tibi, Lector, conſiderāda proponimus, quibus intelligas iſta a Petro omnino fuiſſe conficta, vel ſi non ab ipſo, ab alio tamen fuerit potius aſſumentū eiuſdē ſcriptis appoſitū, quo probaretur Simplicius Abbas fuiſſe Caſſinenſis, cū tamen neque ex corpore ipſius inuento, ſi verū fuiſſet, id neceſſario inferri poſſit, illic ipſum eſſe defunctū. Nā & corpus Carlomanni, quod dicitur ibidē repertū, liquet eiuſdē Leonis aſſertione ex Gallijs translatum [d] fuiſſe Caſſinum. potuit namque accidiſſe, ſi vera eſſent quæ apud Petrum inuenimus enarrata, vt monachi Caſſinenſes ad priſtinum monaſterium inſtauratū redeuntes, attulerint ſecū corpus

a Leo lib. 2. c. 44.

b Chron. Caſſin. lib. 4. c. 5.

c Leo lib. 3. c. 31.

d Leo lib. 1. c. 7. in fin.

eiusdem beati Simplicij. Ceterum nec hoc puto verum, quoniam nondum canonizatus, & inter Sanctos relatus reperitur fuisse Simplicius, vt corpus eius subtus altare poni potuisset. Nam si canonizatus, & inter Sanctos relatus fuit, vt eo honore Sanctis tantum debito dignus haberetur: quare non a Cassinensibus, vel ab alijs eius memoria aliquando inuenitur celebrata fuisse? In Benedictinorum enim Martyrologio nusquã de Simplicio mentio, nisi in recentiore Arnoldi, cum agitur de inuẽtione eorumdem trium nuper nominatorũ, auctoritate non alicuius, nisi Petri diaconi, cuius fides, quam vacillet, audisti. Euanescit itaque, vt tu vides, quæ post quingẽtos annos & amplius ab vno dumtaxat Petro de duobus Simplicijs adinuenta fuit assertio, a qua idem visus est recessisse, cum vltimo suo scripto nonnisi vnius meminerit, cum tam antiquiores, vt Paulus diaconus, & alij post eum; quam recentiores, vt Trithemius, nonnisi vnum suis scriptis Simplicium nouerint; licet in eo omnes errauerint, dũ putarunt, eumdem vna cum Fausto ex Gallia reuersum esse Cassinum. Hæc aduersus Petrum, vel Petri nomine scripta dicta sunto, non autem aduersum te, qui nonnisi vnum, vt reliqui omnes, tuis scriptis profiteris nosse Simplicium, errans tamen cum alijs, dum eumdem constituis Abbatem tertium Cassinensem.

Post hæc autem tua prosequens scripta, inuenimus te sugillasse Baronium eo, [a] quod numerans Abbates monasterij S.Gregorij, aliquot prætermiserit. quid tum? Non eam suscepit prouinciam, vt Chronicon Abbatum monasterij sancti Gregorij compilaret; sed obiter ea attingens, quantum institutum ferret, ad alia tractanda se ex more conuertit. Inferius vero dum arguis eum, quod Abbatem vocet, [b] quem Præpositum monasterij S.Gregorius, quod ita S.Benedicti Regula traderet, appellarit: hoc est quod disputatur, num eiusdem Regulæ S.Benedicti S.Gregorius esset, vt dici possit, eadem fuisse nomina præfecturarũ. Sed leuia prætermittamus ista, quod nec in his Baronius immoretur. Iam vero ad sequentis diei, idemq. tertium atque nouissimum Colloquium, quo absoluisti opus, conuertamus orationem, cum prolixum secundum istud Colloquium tuum iam paucis intelligas confutatum.

a pag. 169. vers. 1.

b pag. 161. vers. 7.

IN TERTIVM COLLOQVIVM.

NVgaris primum in eo, seu potius calumniaris, quod affirmas ipso ferme tertij Colloquij [c] exordio, a Baronio auctorem neminem afferri, qui asserat, quod probare conatur de S.Gregorio, eum non a S. Benedicto, sed a monachis prouinciæ Valeriæ ducere sui monachatus originem: cum sibi astipulantem citet ipsum S. Gregorium, id in dialogis iterum ac tertio profitentem, quo vno solo gaudet, vt confutet omnes tuos. Cumq. his alia rursum subijcis, declamans in eumdem, quasi id non recipiat, quod in hanc diem ab omnibus fuerit traditione receptum: [d] rursum ad tuam hac in re inscitiam prouocas detegendam, cum ex his arguaris nescire, quid nomen ipsum traditionis ab Ecclesia vsurpatum

c pag. 178. v. 10.

d pag. 178. v. 23.

patum importet; quod nempe illud dumtaxat vere traditum, & obseruatione dignum existimetur, quod ab omnibus vbique & semper sit in Ecclesia custoditum, vt, quod in exemplum ducimus, ipsum sacrum signum Crucis, quod licet nulla scriptura constet promulgatum fuisse, tamen traditum vere dici potest, & omni obseruatione dignissimum: cetera autem, quæ non sunt huiusmodi, secus, etiam si mille habeant testes, cum ex veritate certa conuinci possunt mendacij. Sit exemplo, quod ad finem colloquij diei secundæ a nobis est de Simplicio dictum, qui cum auctoritate Pauli diaconi longe ante Ioannem diaconum assertus fuerit Abbas tertius cœnobij Cassinensis, hancq. sententiam ita mox secuti sint omnes, vt ne vnus quidem possit inueniri sensisse contrarium: tamen rei veritate comperta ex eius temporis Scriptore, qui ea cuncta vidit & scripsit, quis insaniens dixerit, tenendum esse, quod traditum; & veritatis compertæ nullam rationem habendam? Sic, cum tu ipse veritatem non ex certitudinis dignitate, momentisq. probationum expendis, sed ex numero testium, qui omnes quod ab vno esse dictum repererunt, turmatim absque aliqua discussione sequentes asseruerunt, adeo vt idem sint omnes ac vnus, cum ab vno in omnes idem fluxisse error inueniatur: perterrere fortasse poteris (quod præfati sumus)
a 4. Reg. 6. quempiam similem famulo Elisæi, [a] numerum immensum hostium pertimescenti; at non eos, qui ingenuitate polleant ex veritate, dicente
b Ioan. 8. Domino: [b] Cognoscetis Veritatem, & Veritas liberabit vos.] Ad hanc te incudem prouoco, in qua crebrioribus ictibus probetur, quod sit aurum vel argentum adulterinum, quodve purum atque germanum.

At quid facis, cum aggrederis enumerare testes, qui faueant tuæ causæ, dum asseris S. Gregorium fuisse professorem Regulæ S. Benedicti? statuis ante primam aciem quem omnium fortissimum militem te habere
c pag. 184. v. 5. 187. v. 3. existimas, [c] Bernardum videlicet Abbatem monasterij Fundani. Probe quidem, cum in tuam, tuorumq. erubescentiam (quod maxime doleo) rursum turpissimam eam imposturam spectandam adducis in scenam, rursum spectatorum sibilis explodendam. en qualem habes tuæ
d pag. 184. v. 21. militiæ antesignanum. Hunc mox (ita abs te ordine isto rebus dispositis) sequuntur diplomata [d] eiusdem generis de donationibus factis a S. Gregorio, seu potius confictis monasterio Cassinensi. At de his nos copiose egimus in Responsione, quam post Apologeticum edituri sumus ad finem operis, vbi prouocati iisdem commenticijs scriptis, falcem & ignem immisimus in spineta illa falsorum documentorum, quo amando Lectorem.

At quid me occupas in refutandis reliquis futilissimis argumẽtis, & illo inter alia, quod subijcis, & deducis ex eo, quod scripsisse reperiatur S. Gregorius res gestas S. Benedicti, eiusq. instituta adamasse? Vnde huiu-
e pag. 186. vers. 20. scemodi deducis argumentum, vt dicas: [e] Si post cognita & laudata illa S. Benedicti instituta renuntiauit, & nuntium remisit sæculo: mirum valde esset, Gregorium aliud laudasse institutum, aliud professum fuisse. certe nouerat ipse vti iuris consultissimus illud ex eodẽ iure sumptũ: Quod

ſemel placuit, amplius diſplicere non debet.] Quod ſi Gregorius non fuit ex inſtituto ſanctiſſimi patris Benedicti, illud aut neſciuit, aut non obſeruauit, nempe quod iuris regula eſt dictum. Quod illud neſcierit, non conceditur, cum ex epiſtola eius optime comprobetur, iuris ſcientiſſimum fuiſſe. & ſi ſciuit, vtique & illud obſeruauit. Nam ab eo, quod ei ſemel placuerat, numquam diſceſſiſſe credam. Niſi forte rationem aliquam tu ipſe attuleris, qua factum fuerit, vt tantus vir a tanto decreto diſcedere voluerit. Quod cum facere non poſſis: neceſſario dicendum eſt, Gregorium inſtitutum quod ipſe verbis laudauit, re ipſa profeſſum fuiſſe, &c.] hæc tua ſunt verba, quæ cum mirari iure poſſint omnes, qui legunt; totos oporteat eoſdem in riſum ſolui & diſſolui, cum te videant monachum agentem iuris interpretem, qui velis ea lege teneri quemlibet, vt quod ſemel laudarit, illud amplecti debeat; & non potius ſit illud, quod regula iuris habet, ad contractus referendum, vel ad alia legalia placita, quibus aliquis ſponte conſenſerit. Sed & illud quo dignum riſu, dum a S. Gregorio exigis obſeruationẽ eius legis, quam poſt annos ferme ſeptingẽtos conſtat fuiſſe a Bonifacio Papa Octauo ſancitam?[a] En vides Conſtãtine quanto periculo monachus agat Iureconſultũ, & quid ſit, præſumere vltra crepidam. Ceterum quod ad S. Gregorium laudantem inſtituta S. Benedicti pertinet: nonne idem Gregorius aliorum Sanctorum virorum monachorum ſcripſit atque laudauit vitæ inſtitutum, & ſanctitatem, vt Equitij, Honorati, & aliorum? potuit ne omnium, quos probaſſet, Patrum ſequi ſimul ſingulorum veſtigia, & vitæ formam profiteri? Sunt enim iſta vocationis Dei, & non hominum electionis, vt diuerſi diuerſa regularis vitæ inſtituta ſectentur.

[a] Reg. 21. de reg. iur. in Sex.

Poſt hæc autem reprehendens Baronium de eo, quod ſcripſerat in Reſponſione ad aliũ Caſſinenſis Congregationis monachum, quẽ es tu ipſe ſecutus, iſta ſubijcis:[b] Scriptor ille tuus nouiſſimus deridet quemdam (Arnoldum ſcilicet Belgam, quem tu errantem nominare erubeſcis) quod dixerit beatum Benedictum nobilibus ortum natalibus; ac ſi grande peccatum eſſet hoc ſcribere.] Calumnioſe rurſum more tuo rẽ agis. Non negat ipſe nobilitatem illam S. Benedicto tribuendam, quam S. Gregorius tribuit, immo laudat, & recitat ex verbis eius, quod ſcilicet dicat, eum ingenuum ex liberioribus parentibus ortum. Riſit quidem, quod Arnoldus ille tuus addiderit, ex Aniciano ſtemmate generatum, ex quo & genus Auſtriacum originem duxerit, vt ſic ex eodem principio S. Benedicti genus, Philippiq. Regis Hiſpaniarum (vt ait) linea deducatur. Definite ludicra iſta miſcere, & ſic cohibebitis riſum legentium. ſed de quæſtione hac, eiuſq. confutatione agetur inferius in dicta Reſponſione. Hic vero tantum id attingã, quod ſubijcis verbis iſtis:[c] Quare neſcio, quo ſpiritu ductus ille tuus, qui auſus fuerit oſtendere, beatum patrem Benedictum inferiorem nobilitate fuiſſe illo Defenſoris filio, &c.] dicam ego, quo ſpiritu ductus; proculdubio a ſpiritu non vanitatis, ſed veritatis, vt qui nonniſi S. Gregorij teſtimonio rem agens, eadem totidem deſcripſerit verbis; & vt veritatis amator, haud æquo

[b] pag. 187. v. 20.

[c] pag. 188. verſ. 7.

animo tulerit, ita huiusmodi ineptijs lancinari veritatem.

a Pag. 188. vers. 15. Subijcis autem ista itidem in sugillationem Baronij: [a] Quod idcirco dixerim, ais, vt disceres, quo animo erga nos sint illi tui Scriptores, qui ex qualibet re minima occasionem quærunt, vt quam affecti sint erga institutum nostrum ostendant.] hæc tu malus interpres candidissimi hac in re animi Cardinalis Baronij. Porro tu cũ alias sæpe superius conuictus fueris rem hanc totã calumnijs agere: modo certe calumniosissimus(pace tua dixerim)arguaris,vt de te ipse iure Baronius verbis Apostoli possit expostulare,dicentis ad Galatas: [b] Ergo inimicus vobis factus sum veritatem dicens?] Vt autem hac pessima suspicione concepta, & prodita scriptis te liberem, aliosq. simul ista legentes reddam de his omnino securos: hic ex Annalibus eiusdem Auctoris loca aliqua reddam, quibus Baronij animus explicetur. Sicut enim voces sunt earum, quæ in animo latent, passionum notæ, ita & scripta cuiuscumque id abundantius præstant. Accipe igitur sparsa per Annales elogia de sancto Benedicto, eiusq. sacra sobole ab eodem Baronio scripta; quo nomine vestri omnes eidem plurimum debeant, tu vero facti pœnitens percutere pectus debeas in detestationem concepti abs te, atque asserti mendacij: ac illud primum: [c] Quod, inquit, admiratione dignum est. Sane quidem in S.Benedicti vocatione summa Dei in consulendo suæ Ecclesiæ innotuit prouidentia. Etenim tempore, quo (vt diximus) Italia, Gallia, Hispania, atque Africa a Gothis, & Vuandalis hæreticis Arrianis possidebantur, Oriensq. pene totus esset infectus hæreticis: in tam terræ noctis obscuritate densaq. caligine eiusmodi claritudo lucis effulsit, sanctus videlicet Benedictus, qua vniuersus Catholicus orbis illustraretur. Quantus autem splendor ex viro Dei Benedicto ad Ecclesiam illustrandam diuinitus emicuerit: inferius suis locis ordine temporum enarrabimus.] & rursum de Benedictinis monachis: Illud gloriose prædicare liceat, coalescente nobili planta maioribus incrementis,in dies magis magisq. dilatatum esse eumdem ordinem monachorũ S.Benedicti, progressuq. temporis compluresq; alios extitisse monachorum ordines sub eiusdẽ sancti Regulis militantes.] & post multa de eisdẽ Benedictinis: [d] At quis Dei consiliũ nõ magnopere admiretur, dum considerat, eodem ferme tempore, quo in Oriente monachismus magna esset ex parte collapsus, compluribus ex eisdem a Fide Catholica in diuersos hæresum errores deficientibus,alijs vero ab illo veteri instituto rigido in delicias prolabentibus: eodem,inquam,tempore in Occidente instaurari, longe lateq. diffundi obseruantiam monasticæ disciplinæ, eamdemq. adeo fecundo germine propagari, cum veluti ex tenui surculo prægrandium exortæ sint frugiferarum arborum siluæ, quæ vniuersam repleuerint Occidentalem Ecclesiam: extiteritq. locuples seminarium, ex quo plurimi progressi sint sanctissimi diuersarum ecclesiarum Episcopi, nec defuerint ex eis, qui in Throno Apostolico considentes vniuersam Catholicam Ecclesiam, cum vehementiores vrgerent fluctus, constantissime gubernarint: progressiq. ex eodem monachorũ ordine

b Gal. 4.

c Annal. tom. 6. anno 494.

d Annal. tom. 7. anno 529.

ordine ſint, qui Apoſtolico munere complures barbaras nationes Chriſti iugum ferre impatientes, tandem ad Chriſtianam Fidem ſponte capeſſendam conuerterint: prodierintq. alij, qui ob ſuſcepta grandia pro religione certamina ſint victores conſecuti coronam martyrij. Prætermus modo illos, qui ſacrarum litterarum ſcientia nobiles, inter Scriptores eccleſiaſticos floruere. Nec numeramus, quæ numerari vix poſſint ſacrarum examina virginum. ſicut nec facile ſit recenſere, quot ex hoc vno vere dicendo ſui humilitate fonticulo immenſa flumina ſint deriuata. Quot, inquam, ex Benedicto diuerſorũ ordinum ſint progreſſa agmina monachorum, qui licet diuerſo nomine in Dei Eccleſia circumamicta varietate cenſeantur; inſtituti tamen eſſe S. Benedicti, & ab ipſo progredi gloriantur. Hæc tanta tibi vno intuitu, tamquam immenſum cælum in paruo globo deſcriptũ inſpiciẽda modo obiter proponimus &c.] & inferius eodem anno in hæreticos detractores S. Benedicti & ſuorum, vbi de diabolo meminit, qui S. Benedictum, Maledictum nominabat, iſta ſubinfert: Intelligis ex his puto, Lector, cuiuſnam lingua loquantur, cuiusve ſpiritu agitentur infeliciſſimi Nouatores, qui in eumdem ſanctiſſimum virum, aliosq. a Deo benedictos monachos maledicta & contumelias iaculari nõ ceſſant.] hæc Baronius, quem niſi ſcire fuiſſe presbyterũ noſtræ Congregationis, aſſererem fuiſſe Benedictinũ, cum his & alijs præclaris elogijs Benedictinos, cũ datur occaſio, prædicet, & in eos obloquentes ſeuere cohibeat. vnde ſane, ſi res in controuerſiã duceretur, vter veſtrũ, tu ipſe, an Baronius magis S. Benedictũ atque Benedictinos monachos diligat: & ipſe vt iudex interpellatus ſententiam ferrem: procul dubio primas Baronio deferrem, hac potiſſimum ratione, quod ſtatera, qua expendendus eſt amor, vt ſit verus, eſt rectitudo. vnde & illud Cantici: [a] Recti diligunt te.] a qua quidem ſi quis deuiet rectitudine veritatis, non recte amare conuincitur, ſed carnali affectu ſpiritualia proſequi, quæ inficiant potius quam decorent. ſiquidem caro & ſpiritus ſibi inuicem aduerſentur. Ceſſa igitur talia in Baronium effundere; & in tui ordinis amoris rectitudine, ſi ſapis, potius imitare ipſum, qui veri amoris integritate longe te ſuperet.

Subijcis [b] poſt hæc argumentum ex Regula, quã a S. Gregorio ſeruandam vis ſuſceptã, eo quod eam laudaſſe inueniatur illis verbis de Benedicto agens: Scripſit monachorũ Regulam, diſcretione præcipuam, ſermone luculentam. Quam autem, inquis, tantũ laudaſſe cõſtat, quis eam non profeſſum fuiſſe iure dicere poterit?] & vnde tibi, vt quoſcumque laudatores inuenis, eoſdem facias profeſſores? laudatos ab eodem habes alios etiam monachorum patres, Equitium & Honoratum, ſiue alios; & quomodo potuit non laudaſſe omnes, eorumq. inſtituta commendaſſe, quos miraculorum ſignis quæ ſcripſit, eſſe Dei charos amicos intellexiſſet? ſed quod ad Regulam ſpectat, audi quo modo ipſe Gregorius cum de ſui monaſterij Regula meminit, nequaquam eam S. Benedicti fuiſſe tradat. [c] ait enim, cum agit de monacho proprietario: Eiuſdẽ mei monaſterij ſemper regula fuerat, vt cuncti Fratres ita communiter viuerent,

[a] Cant. 1.
[b] pag. 190. verſ. 25.
[c] Greg. dial. lib. 4. c. 55.

viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret.] hæc ipse. cui certe peropportuna patuisset occasio, vt si professor ipse fuisset Regulæ S.Benedicti, eiusdem tunc meminisset: sicut & alibi cum contigit meminisse Regulæ sancti Benedicti, agens de Speciosо atque Gregorio monachis, ait: [a] Eius se Regulæ in sancta conuersatione tradiderunt.] Quod si vna communis omnibus Regula cum Gregorio fuisset, Regulæ nostræ conuenientius dixisse, videri poterat.

a Greg. dial. lib. 4. c. 8.

Quod vero subijcis, [b] cum dixit S. Gregorius, loquens de Regula S. Benedicti: Scripsit monachorum Regulam. sic accipiendum, quod cum & ipse Gregorius monachus esset, sibi etiam scriptam fuisse innuat. Non enim, inquis, dixit: Monachorum suorum Regulam, sed vniuerse dixit monachorum Regulam.] Tuum istud argumentum tollitur ex textu ipso Gregorij proxime citato, quo ipse peculiariter suæ, & seorsum Regulæ S. Benedicti mentionem fecit, & redarguit quod subdis: quo vsu loquendi vtitur in epistolis. Ex quo intelligitur, illum semper intelligere Regulam sanctissimi patris Benedicti &c.] at longe postea contigit istud, cum toto scilicet orbe Occidentali, fuit communiori vsu recepta eiusdẽ S.Benedicti Regula, vt per Antonomasiam simpliciter dicendo, Regulam monachorum, Benedictina significaretur, secus autem temporibus S. Gregorij, cuius perperam tu citas epistolas.

b pag. 190. §. 32.

Quod vero perstans in argumento de laudata a S. Gregorio Regula S. Benedicti, subijcis istud Dilemma: [c] Aut enim monachus erat, quando res gestas sanctissimi patris Benedicti conscripsit, aut non. Si erat, vti experto vtique credendum est, & merito eum laudasse quod profitebatur.] ad hanc priorem Dilemmatis partem primo dixerim, vtique fuisse monachum, cum illa scripsit, immo & Pontificem, agentem in Pontificatu iam quartum annum, vt est demonstratum: sed quomodo sequitur quod dicis, vt expertus laudarit eam? quasi ex tua sententia non aliam quam quæ sit expertus, laudare quisquã possit, & non quod laude dignũ putarit, liceat laudibus prosequi? subijcis vero: Si non erat, monachus Gregorius scilicet, cum illa scripsit, sed postea monachus effectus est: & aliud institutũ elegit, audacter dico, stultissimũ fuisset aliud verbis probasse, & laudasse, aliud factis exhibuisse: esset enim hominis inconstantis. quod de S.Gregorio dici nõ debet, nec potest.] hæc tu. Sed quid si fecisset, quod & factum ostendimus, num abs te propterea huiusmodi factũ stultitiæ arguendũ adeo animose fuisset? Patienter tibi ferendus, sancte Gregori, monachus iste, cum tanta audacia profitetur, si hoc abs te factum esset, stultissimum dici debuisse, si, inquam, sectatus non fuisses quam laudas Regulam Benedicti. Compello te, Constantine, si tibi loquendum esset de Regula Carthusianorum, vel S. Francisci, & aliarum austeriorum, quas sancta Ecclesia Romana probauit: laudares ne illas, an non? vtique laudaturum te eas, dices recta sententia: quidni enim laudares, quas laudatas ac probatas ab Ecclesia scires? si adderem: Quare ergo non profiteris easdem, quas laudas, transiens ad arctiorem, quod licet? quid diceres? vtique illud: Non sic eas laudaui, vt nisi profitear illas,

c pag. 192. §. 9.

stultitiæ

ſtultitiæ ſim mox arguendus, cum diuerſi ſint hominum guſtus, & non in idipſum vocati ſint omnes. hæc tu ita prudenter. At quomodo auſus es, idipſum ſi egiſſet Gregorius, ſanctiſſimum Patrem tam audacter ſummæ ſtultitiæ redarguere? An non dignus haberis, qui ob tam graue culpam leuiori ſaltem ſubijciaris virgæ monaſticæ? tu dicito. Grande certe piaculum, audax facinus, dictum arrogans id aſſeruiſſe, atque in illud diſcrimen Gregoriū adduxiſſe, vt ſi manifeſtiſſimis rationibus probaretur, alterius inſtituti quam S. Benedicti fuiſſe: mox ſtultitiæ immenſæ & inconſtantiæ notam incurreret. ſed parcat tibi ipſe Gregorius, cuius admirandam ſanctitatem adeo tenui eodemq. marcido tui Dilemmatis filo ſuſpendis.

Poſt iſta autem rurſum repetis [a] eamdem diſputationem de tempore, quo S. Gregorius ſcripſit librum ſecundum dialogorum, contendens probare ſi poſſes, ab eo illum ſcriptum ante annum Redemptoris quingenteſimum & ſexageſimum. Sed quia iſta confutauimus ex ijs, quæ ſuperius dicta ſunt de Simplicio, a quo partem rerum geſtarum S. Benedicti idem Gregorius ſe accepiſſe teſtatur, qui non ante quadragintatres annos eſt reuerſus in Italiā, anno ſcilicet Redemptoris octogeſimoſexto poſt quingenteſimum: omnes illæ tuæ argumentationes euaneſcunt, vt ſit tibi contra Fauſtum omnino ſilendum. His vero ſubijcis de propagata religione ordinis S. Benedicti in exteras nationes, quibus aſſentimur. quis hoc neget, quod idem Fauſtus per S. Maurum factum in Gallijs docet? ſed de propagata tam cito in Anglia, non poſſumus conſentire, illis obſtantibus, quæ diximus in Reſponſione, quæ poſt Apologeticū in fine ponetur. Nec perſuadet quod Polydorus Virgilius, qui nuper res geſtas Anglorum ſcripſit, hoc dicat nulla antiquorum auctoritate, ſed ſuæ mentis arbitrio: non enim recentioribus de antiquioribus teſtantibus fidem adhibemus, niſi quæ dicunt, vel ratione, vel antiquiorum teſtimonio fulciantur. Alioqui ſi via iſta aperitur, vt nouiſſimo cuique quælibet aſſerenti abſque auctoritate, vel ratione probata credatur, in poteſtate cuiuſlibet erit, quod velit aſſerere, & antiquitus tradita diſſipare. At ſic eſt Baronius comparatus, vt ſcriptis ſuis nullā fidem adhiberi velit, niſi antiquiorum teſtificatione quæ ſcribit, affirmet ac comprobet.

Poſt hæc autem longa fruſtra niteris oratione, vt oſtendas plurima priuilegia conceſſa a Romanis Pontificibus monaſterio atque Congregationi Caſſinenſi. Quis negat? quis inuidet? An non Baronius, cum datur occaſio, eorumdem cum laude meminit? Numquid quia confutat falſa, vera negat? vel quia deteſtatus eſt impoſturam aliquorum, condemnat quæ comperit & certo nouit eſſe germana? minime gentium. Vnde ergo ſibi, vt eum ſugillans, in iſta, more tuo, amara verba amarus ipſe prorumpas, vt dicas: [b] Quare exeat nunc neſcio quis male affectus erga noſtram Congregationem & prædictum ſacrum cœnobium, & irrideat; dicatq. illa ipſa tot & tanta priuilegia opus eſſe monachi otioſi: nam illico, prolatis archetypis, mendacio conuincetur &c.] hæc tua & alia his conſentientia. Ad quæ in primis, quod pertinet ad dijudican-

dum

[a] pag. 193. v. 3.

[b] pag. 209. v. 10.

dum animi affectum, iam superius, cum istam notam inureres, tu primũ iniustus ab ipsa, certa assertione monstrauimus, præstare etiã hac ex parte Baronium tibi ipsi, qui in eo quod spectat ad cultum sancti Benedicti, eiusq. ordinis monachorum, nolit cuiquam primas deferre, & ipse numerari secundus. Quod si ab ipso quædam contigit asserta priuilegia, siue donationum instrumenta redargui imposturæ: id non insultans, sed dolens fecit; dolens, inquam, quod florentissima monachorum institutio sanctissimi patris Benedicti istiusmodi sordium aspergatur inquinamentis, quæ (quod deterius est) non expurgentur a suis; immo intacta sinantur, amentur, & conseruentur; & si quis veritatis scopa euerrere aggrediatur, prohibeatur omnino. siccine colitur sancta religio? Ita etiam profecto mali parentes amant malos filios proprijs affectibus indulgentes, odio prosequentes reprehensores eorum, qui eos ad meliorem frugem reuocare laborent. Iste ne amor dicendus, an odium, diligere siue in rebus, siue in personis vitia? Si ergo vere sunt vitiosa atque omnino falsa & commenticia diplomata illa: cur adeo ægro animo fertis, confutari ipsa, & manifesti erroris conuinci? si non sunt, seu non putantur a vobis talia esse, cur argumenta singula aduersus ea plane insolubilia non soluuntur illata? sed vna tantum illa responsione gaudetis, qua vtimini,[a] cum ista rursus animo acriori subiungitis: Dicat, & hæc a tãtis Imperatoribus emanata priuilegia esse monachi otiosi opus, & tot Imperatorũ maiestatem, dignitatem, & existimationẽ conuellat, & nihili faciat. Et quia scio quemdam recentissime admodum scripsisse aduersus hæc diplomata & donationes, quæ omnia vocat deliria, & ficta quondam fuisse, nullamq. fidem eis præstandam scriptitat, cum sola nuda verba & non facta consideret, sannisq. nos prosequitur, qui rebus magis quam verbis credimus, cum quæ patent sensibus, sciamus non egere probatione &c.] ex his nimirum, Constantine, deducis, quod cum monachi ea possideant quæ dictis diplomatibus continentur, ipsa reuocari non possint in dubium, nec erroris argui & confutari. perbella tergiuersatio, qua sic te putas eludere simul omnia argumenta. Non hoc agit, qui ea redarguit falsitatis, vt bonorum illorum vos iniustos arguat possessores, neque quod bona illa eorumdem falsorum documentorum auctoritate possideatis, aliquando dixit; sed hoc potius, quod pluribus eiusdẽ monasterij naufragijs, deperditis germanis earũdem donationum scriptis, aliquis ex vestris, sed non de vestris, impostor illa cuncta finxerit, quæ sunt confutata, diplomata.

[a] pag. 210. §. 12.

At vero quid egisti, ita carpens & sugillans illum, qui hoc non, vt tu putas, liuido, sed candidissimo animo præstitit? hoc vtique, quod cum omnia illa, quæ scripsi in Responsione ad religiosum monachum vestrum, nequaquam edere statuissem, ne viderer voluisse vestræ sanctissimæ religioni ignominiam irrogare, sed continuissem hactenus intra domesticos parietes, ostendens ea aliquibus ex vestris, vt sic res sub silentio absque vulgari strepitu ageretur, ac ita consuleretur existimationi vestri ordinis, dum pariter consulitur veritati: tu nunc hac

ex parte (dicam libere) de tui ordinis Congregatione pessime quidem meritus, cum secretam illam vobis ostensam Respõsionem publicis scriptis abs te cusis nisus sis confutare, coegeris nolentem, & hactenus vestræ existimationi parcentem, illam edere, quam tuipse confutando ita manifestasti; sicq. maximo tuo, tuorumq. dedecore huiuscemodi editis scriptis insulsissimis, extorseris de manu nostra illam ad Cassinatis Congregationis alium monachum Responsionem, in qua diplomata illa, quę tu dicis, redarguuntur manifestissimæ imposturæ: vnde in te vnum culpam coniiciant omnes tui veritatis amantes. Quia tantum abest, vt his tuis scriptis confutaueris ea quæ in contrarium a nobis allata fuerunt, vt magis magisq. ita frigide respondendo, vestro ordini notam inusseris indelebilem. Nos autem Deum, & homines contestamur, ad hæc inuitos & renitentes pertractos, abs te quodammodo necessitate coactos; ne si taceremus, redargueremur improbi re vera calumniatores, prout notati istiusmodi tuis scriptionibus inuenimur; sicq. tacendo, culpa, quæ nulla inest, videri potuisset nobis inesse. Quam præstitisset, Constantine, vt ipsum quidem prudentius rem agentem imitatus esses Cassinensis item Congregationis monachum tuum, qui antequam sua cuderet, nobis ostendit: liberasses quidem te, tuosq. a multis angustijs: nam inter nos sic res transacta esset sub silentio, absque strepitu concurrentium ad spectaculum, quos tu, parata scena, magna pompa ad dialogorum colloquia, tamquam ad actus comœdiæ conuocasti. sed reliqua prosequamur.

Ad confirmationem falsorum diplomatum, S. Thomam inuitum ac reluctantem conaris adducere testem, vt in alijs sæpe facere consueuisti, cum subdis: [a] Libet hic ad coarguendam eius ignorationẽ afferre, quod S. Thomas respondens aiebat: Quod vero secundo proponitur, quod beatus Benedictus in vita sua amplas possessiones recepit, hoc sufficit ad ostendendum, quod communes possessiones non totaliter excludunt monasticam perfectionem. & hæc D. Thomas, quibus vbique confirmat quod dicebant illi de possessionibus receptis a beato Benedicto; quas vtique recepit vel a Tertullo, vel ab Equitio, seu a Gordiano, prout prædictæ tabellæ donationum probant & factum ipsum: nam monachi nunc vsque sunt in bonis ipsis. Quod si a prædictis donatæ non fuerint, vt ingeminatis, & propterea falsas illas donationes esse asseritis: alium producite vos donatorem, & alias tabellas, quæ hæc eadem bona narrent, quia velimus, nolimus, cogemur fateri, nos in errore esse, vos vero vera dicere. Quod cum non feceritis, nos factis credemus, vos pro libito vestro verba deridete, cum res ipsa probet nos vera dicere, vos nugas texere.] hucusque tu Constantine, quem totum anxium intueor ex tuis scriptis; vereris nimirum, ne ex conuictis falsitate diplomatibus, mox rei vendicatione latifundia illa, omnes insuper villas, & oppida a vobis auferre laborem, cum tu non ex diplomatibus, quæ aperta luce falsa comprobantur, tueri conaris bona illa vestra esse; sed ex eorum possessione probare diplomata esse vera. Non hoc agimus (vt nuper diximus)

[a] pag. 210 vers. 21.

cum certum exploratumq. sit apud nos, vos eorum omnium esse legitimos possessores, sed non plane ex diplomatibus illis, quæ falsa omnino esse conuicimus, sed ex alijs quæ non extant, in quorum locum supposita fuerint falsa illa, quæ tu tuiq. rerum inscij pro veris ostentant. Quod si coneris ex illis probare eorum legitimam possessionem: vide in quam grande periculum conijcias ipse tuos; cum ex illis hoc tantum lucri vobis accedat, vt conuincamini omnino, ea omnia falso vos titulo possidere. Vide rogo (te modo appello Lectorem) cum quo homine sit mihi negotium, qui contra propria commoda adeo impense laboret. quodq. magis displicet, sanctum Thomam S. Ecclesiæ Doctorem cogere velit falsitati astipulari, cum nec verbum quidem de illis diplomatibus apud eum extet, sed tantum de possessione bonorum, quæ non ex illis commenticijs, sed legitimis scriptis, titulo iusto possederint. sed ad reliqua.

a pag. 214. ỿ. 1. Quod autem aduersus ea, quæ dicta sunt in Responsione de tempore promulgationis Regulæ S. Benedicti, paulo [a] post frustra tergiuersaris, vt effugias Petri diaconi atque Sigeberti de promulgata Regula S. Benedicti post eius obitum assertionem: iam vnde ipsi id acceperint, nuper inuenimus testificationem quidem omni fide maiorem. Extat in Vaticana bibliotheca veterrimus codex, in quo ipsa S. Benedicti Regula descripta habetur, & post eam Martyrologium Vsuardi eiusdē antiquitatis. Ante ipsam autē Regulam breuis præfatio præposita legitur his ipsis verbis:

Incipit Prologus de Regula sancti Benedicti Abbatis.

Qui leni iugo Christi colla submittere cupis, Regulæ sponte da mentem, dulcia vt capias mella. Hic Testamenti veteris, nouiq. cuncta mandata. Hic ordo diuinus. Hicq. castissima vita. Hoc Benedictus pater constituit sacrum volumen, suisq. mandauit hæc seruanda alumnis.
* Al. publicauit. Simplicius Christi minister magistri latens opus *propagauit* vt omnes.
Vna tamen merces vtrosque manet in æternum.

Incipit Regula. Ausculta fili &c.] Ad istam plane præfationem visus est allusisse, quem diximus, Petrus diaconus, dum ait: Simplicius Regulā, quam suus magister condiderat, *idest occultauerat*, publice legendam omnibus monachis tradidit.] & Sigebertus eadē ipsa recitata superius verba habet dū ait: [b] Simplicius discipulus eius latens magistri opus publicauit.] ex qua lectione Sigeberti mendum in codice illapsum corrigi potest, vt vbi legitur, propagauit, dicendum sit, publicauit. Quamuis nec inepte legitur, propagauit, vt sit sensus: Regulam in Italia propagauit, quam in Gallia, vsque ad finem Mauri & successoris, suis monachis seruandam tradiderat. Sed & ex eadem lectione præfationis ad Regulam, in eo quod ait, Magistri latens opus publicauit, siue propagauit,] nosce in Petro diacono legitimam lectionem & germanum sensum verborum illorum: Simplicius Regulam, quam suus magister condiderat, publice legendam omnibus monachis tradidit.] vt sit sensus secundum dictam præfationem ad Regulam, quod Simplicius Regulam, quam sanctus Benedictus occultauerat, publicauit. Sicq. vox illa, condidit, non ibi significat quod, composuit, sed quod, occultauit. At quid ex hac

b Sigeb. de illustr. Script. eccles. c. 31.

veritate triplici testificatione probata deducimus? Equidem conclusionem illam, qua pro Baronio quæstio omnis absoluitur. Etenim cum superius ex Fausto S. Benedicti discipulo sit demonstratum, Simplicium ex Gallijs in Italiam minime redijsse ante annum Redemptoris quingentesimum octogesimumsextum, ante quod tempus nec Regulam potuerit in Italia publicasse: necessario sequitur, vt S. Gregorius, qui ante Simplicij reditum ingressus est monasterium, nullo pacto potuerit esse professus eiusdem sancti Benedicti Regulam, quæ lateret adhuc, nec vsque ad Simplicij ex Gallia reditum fuerit publicata. Simplicius enim e Gallijs rediens, illam, quam a S. Benedicto acceperat experiendam Regulam, iam annis quadragintatribus vsu probatam, saluberrimamq. inuentam, promulgari curauit pariter in Italia, cum ex Gallia sero redijsset.

Quod autem post hæc parallelos congeris instituti S. Gregorij cum Regulis S. Benedicti: quis negare poterit, omnes Regulas religiosorum aliqua habere inter se communia, & aliquibus peculiaribus legibus ab inuicem separari? Quod ex omnibus Regulis ostendisse Benedictum quendam Abbatem, [a] Sigebertus affirmat.

Addis post hæc ex sancto Gregorio argumentum, quod dicat in dialogis, [b] S. Benedictum admonuisse Marcium Anachoretam, vitam solitariam agentem in monte Marsico, vt si seruus Dei esset, non catena ferrea ad stabilitatem tenendam comparata, sed vteretur catena Christi: deducis, inquam, in argumentum quod sanctus Benedictus ex officio curam gerebat omnium monachorum. At quod id S. Benedictus vt Abbas faciendum præceperit, non autem vt amicus admonuerit, nihil est quo probare possis; immo plane contrarium inducitur. Siquidem si is fuisset sub S. Benedicti disciplina monachus constitutus, nequaquam aggredi permissus esset illud vitæ institutum, quod ipse S. Benedictus non probaret, nedum vt tamdiu in eo perseuerare sineretur. sed esto, sub Benedicto etiã fuerint (vt vis) Anachoretæ: quid est quod infers: Monachus iste erat in monte Marsico: Marsi a Paulo diacono ponuntur intra Valeriam: ergo S. Benedictus curabat monachos, qui erant in prouincia Valeria? redargueris enim primũ ab ipso S. Gregorio, qui ait ipso eius narrationis initio, montem illum fuisse in parte Campaniæ: ergo non in Valeria. distinctam enim fuisse Campaniam a Valeria, satis aperte idem Paulus [c] diaconus docet. Nec est quod argumentari possis a nomine, montem Marsicum in Marsia fuisse prouincia, cum dicat S. Gregorius expresse fuisse in Campania; sicut nequaquam dixeris aliquando montem Atticum (hactenus ita nominatum) qui est non longe a Cassino prope Atinum, esse in Græcia prope Athenas, ex nominis similitudine. Sed quid tu ex his demum conaris efficere? nempe vt ex montis nomine prouinciam, ex prouincia monasteria in ea sita lucreris, & cum monasterijs S. Equitium cum suis S. Benedicti præfecturæ subijcias; ac sic vt tandem Gregorium capias, retia iuuat dilatasse. sed frustra, vt qui non nisi tenuem aerem his incluseris, cum procul absit,

[a] Sigeb. de il lust. Scrip. Eccles. c. 62.
[b] Greg. dial. lib. 3. c. 16.
[c] Paul. diac. lib. 2. c. 20.

vt fit tibi adiumento epiſtola Bernardi Abbatis Fundani, quam citas, quæ ſuperius vt ſpuria & notha conuicta eſt. Fruſtra enim iacitur rete ante oculos pennatorum.

[a] pag.225. §.6. Addis ad hæc alia longe magis a propoſito [a] aliena, nimirum apparere ex Imperatorum diplomatibus multa loca poſſeſſa in prouincia Valeria a monachis Caſſinenſibus: ergo, infers, monachi in ea prouincia poſiti ſpectabant ad S. Benedictum: nempe S. Equitium atque ſocios intelligis; perinde ac ſi Equitius, & eius diſcipuli illorum agrorum coloni adſcripticij fuiſſent, vt dominus, qui eſſet fundi, colonorum pariter dominus cenſeretur? Sed quod timeres citata abs te diplomata, vt alia, re-

[b] Pag. 226. verſ.6.& 10 uocanda in dubium fore, hæc ſubijcis amarulenta: [b] Quis adeo perfricata fronte erit, vt audeat dicere, hæc diplomata eſſe hominis otioſi?] & paulo poſt: Si vero aliquis moroſus, vel naſutus deliria hæc eſſe (vt moris eſt illis) dicere auſus fuerit, ſi prędicta priuilegia a me citata in forma (vt aiunt cauſidici) probanti, nō inueniuntur in Tabulario prędicti ſacri cœnobij: nolo vel allata, vel nominata fuiſſe.] parce tibi monache; nec te impellat furor in verba eiuſmodi cōtumelioſa monacho indecētia & inconſiderata. Quid ais? Citas Tabularium Caſſinenſe? Num bibliotheca Caſſinenſis ſiue aliud Tabularium eius eſt Arca fœderis, vt in ea non niſi tabulæ ſacræ legis includantur, & ſacroſanctum eſſe affirmare neceſſe ſit, quidquid in ea reperiatur eſſe reconditum? cum certum ſit ibi reperiri cuncta quæ ſunt a Baronio vel a nobis confutata diplomata? Nam de reliquis, quæ non vidimus, litem non mouemus; quæ ſi prodantur in lucem, luci admouebimus ea, & ad lapidem Lydiū, vt cetera, reuocabimus. ſed nō curamus iſta diſquirere, quæ non pertinent ad inſtitutū. At tu, qui ita naſutos ſugillas, eos nimirū qui emunctis naribus, odoratu acuto veſtra perlegūt; velles (vt video) Lectores omnes obſtructis naribus habere ſtertentes. Verum ſæculum præſens omniū eruditiſſimum haud huiuſmodi conſueuit habere Lectores, ſed longe diſſimiles, cenſores ſeueriſſimos, quos iure timeant etiam illi, qui te ſcientia multipliciter antecellunt, quorum iudicio tu magno periculo tua legenda cum offers, fore puto, vt te pœniteat inſtituti; cum in plures naſutos, quos vocas, te ſenſeris incidiſſe. Nam nec deerunt, qui etiam (quod nos conſulto omiſimus, ne repueraſcere videremur) ob ſolœciſmos ac barbariſmos Orbilij ferulæ te ſubijcient.

[c] pag. 232. verſ.10.232. verſ.22. Subijcis inferius, [c] probari ſanctum Gregorium fuiſſe monachum ſancti Benedicti ex conſuetudine & amicitiæ vſu, quam cum S. Benedicti Abbatibus habuit. Sed quid mirum, cum præſertim loci vicinitas ſuaderet? etenim Lateranenſe monaſterium haud procul poſitum, ſed paucis paſſibus diſtans a monaſterio ſancti Gregorij in eodem Cælio monte ſitum quis ignorat? Tu vero tenuiſſimam huiuſcemodi coniecturam, veluti robuſtiſſimū Enthymema iſtis verbis amplificas: Ex quibus omnibus habetur perſpicue, quod antea dicebamus, Gregorium videlicet vſum fuiſſe conſuetudine, familiaritate, & quotidiana couerſatione monachorum inſtituti ſanctiſſimi patris Benedicti, tam in monaſterio ſuo,

quam alibi, vti & tamquam monachum eiusdem instituti. sequitur ergo necessario fatendum esse, eum ex eodem instituto extitisse.] scilicet, quasi non sit peculiare etiam laicorum Deum timentium cum Sanctis religiosis habere amicitiæ arctissimum vinculum, eosdemq. assiduo frequentare.

Descendis ad zonam pelliceam, [a] quam inuentam esse in eiusdem S. Gregorij sepulchro, cum venerandum corpus ipsius est eleuatum, scribit Ioannes diaconus, quæ cum esset pollicis vnius mensura in latitudinem coarctata, hinc monasticæ S. Benedicti obseruantiæ fuisse S. Gregorium, ipsius Ioannis testificatione expressum esse demonstras. Sed quomodo ex zona mensuræ latitudinis vnius pollicis potuit Ioannes diaconus intellexisse S. Gregorium fuisse instituti S. Benedicti monachum, cum ipse S. Benedictus in Regula nequaquam zonæ latitudinem definisse, nec an instar balthei, pellicea esse deberet, vllatenus statuisse sciatur, sed dixerit hæc tantum: Cincti singuli cingulis, aut funibus.] Sed nihil est quod dicere possis, ex zona monachorum sui temporis eius materiæ atque mensuræ Ioannem diaconum id esse interpretatum. Nam post trecentos ferme annos a tempore S. Gregorij asserere eiusdem generis zona vsos tũc fuisse Benedictinos, hoc est diuinare, cum ex eiusdem S. Benedicti Regulæ præscripto certũ est, eos vti potuisse ad præcinctum etiã fune. Sicq. appareat, vel minimum quidem curasse S. Benedictum, hoc vel illo cingulo sui monachi vterentur, cum econtra tam Orientalium, quã Occidentalium Africanorum monachorum cingulũ constet fuisse tantum pelliceum, quod ex S. [b] Basilio, [c] Cassiano, [d] Fulgentio est facile demonstrare. [e] Quinimmo ex eiusdem S. Gregorij arcto cingulo possumus interpretari, magis S. Basilij Regulam esse secutũ, cum ipse S. Basilius in vestitu monachorum suorum humilitatem, exilitatem, tenuitatem ad ipsam necessitatẽ tantum, mirum in modum commendet. nam audi quale ipse genus omnium indumentorum suis vsui esse velit: Quod, inquit, ne quidquam minimum præferat curiositatis, minimoq. sumptu parari possit, & ad necessarium vitæ vsum modo sit satis. Hic canon perpetuo tenore seruetur.] Vide igitur, an cingulũ S. Basilij monachorũ latioris mensuræ, quam pollicis esse potuerit, quod S. Basilij officina nonnisi ad mensuram necessitatis, humilitatis, & paupertatis conficere suis monachis consueuit. Ex colore autem vestium dum argumentaris, [f] S. Gregorium fuisse instituti S. Benedicti, quod nigris, vt illius monachi, ipse sit vsus: de his etiam inferius pluribus agitur & in Responsione, vbi inter alia ex antiquis picturis monasterij S. Andreæ est demonstratum, monachos illius monasterij vsos esse indumentis castanei coloris, sic & de monachis suis a S. Gregorio missis in Angliam, [g] an fuerint Benedictini, inferius pariter dicendum erit.

Cum autem [h] hinc descendis ad defensionem diplomatis, quod fingitur a S. Gregorio datum Bonito Abbati Cassinensis Congregationis; quam frigide agas, Lectores iudicent, qui ea, quæ de illo habentur in Responsione, legentes, cum hisce tuis conferent; in quibus cum te inextricabili-

[a] pag. 234. vers. 27.
[b] Basil. Reg. fus. disp. Interrog. 23.
[c] Cass. lib. 1. c. vlt.
[d] In vita ipsius Sur. tom. 1. die 1 Ian.
[e] Eod lib. Interrog. 22.
[f] pag. 238. v. 7.
[g] pag. 234. v. 11. 246. v. 8.
[h] pag. 239. vers. 7.

tricabilibus sentias demonstrationibus ex tuis etiam verbis constringi; hoc tibi paras effugium miserorum, vt ex eo legitimũ esse probes, quod in Cassinensi bibliotheca Longobardicis scriptum litteris habeatur: ac si quidquid eo charactere exaratum inuenitur, tamquam sigillo Apocalypsis sit consignatum, in dubitationem non liceat reuocare, & desinẹ hodie quoque Scriptores, qui eorumdem formam elementorum valeant imitari, vt plus apud te probet genus characteris, quam veritas manifestis rationibus confirmata. Sed calumnia agis, dum calumniose nos dicis impostorem accusare Laurentium, qui diplomata hęc cudenda curauit, quasi illum dixerimus fuisse eorum auctorem. Non ista diximus, sed potius ab ipso primum edita, non adinuenta, quæ scimus haberi in Cassinensi bibliotheca, quam ab his sordibus expurgandam monuimus.

a pag. 241. v. 29. Idipsum dixerimus de [a] diplomate Zachariæ Papæ, quod frustra munire laboras auctoritatibus successorum Pontificum, nisi contra illud obiecta diluas: nam sic successores illud confirmasse dicendi erunt, si verum illud & legitimum esse constitisset, non autem si subrepticium, multo minus si falsum omnino esse conuinceretur. Id quoque dixerimus de recentioribus nostri sæculi Scriptoribus, qui nulla de eo habita diligentiori discussione, quod legerant, germanum esse existimantes, eiusdem meminerunt.

Sed quod iam deuenimus ad id, quod ab exordio Apologetici huius polliciti sumus, vt ostendamus nimirum, Zachariæ Papæ nomine priuilegium collatum monasterio Cassinensi esse adulterinum, sicut reliqua a Laurentio monacho cusa post Chronicon Cassinense: cum tu de ipso

b pag. 241. v. 29. acturus es ista præmittis: [b] Quia enim nouissimus ille tuus Scriptor deridet priuilegium Zachariæ; a me, vt dixi, consultus antefatus Bibliothecarius, Cassinẽsis, præcedentibus hæc infra dicenda subiecit, &c.] Attigit plane Baronius in [c] Annalibus ista quam breuissime, sed obiter de ipso a-

c Ann. to. 9. an. 748. in fi. gens, quod tunc occurrebat, absque aliqua derisione (quã tu calumniose more tuo obijcis) vt ex falsis notis temporis sibi inuicẽ aduersantibus, & diuerso Zachariæ in his conscribendis vsu, idem priuilegij diploma in suspicionem tantum adduceret falsitatis. Ita Baronius paucis transiliens, attigisse rem potius videri voluit, quam tractasse; ne si absque leui saltem censura illud præterijsset, oscitantiæ nomine iure quidem redargui posset; si vero in eo confutando immoratus esset prẹter institutũ, inuidiam vestrorum, & odium (quod nec sic vitare potuit) incurreret.

Sed quod iam tu amariuscule rem tractas, impellis sane, vt copiosius de his agam: & quę tunc modestię causa apud se, vobis parcens, continuit Baronius, hic aperiam. vnde tibi, Constantine, non mihi, tui succenseant, qui ad detegenda indecora ista, me plane coegeris, tum ex eo, quod ad tua falsa probanda, e falso illo scripto elicis argumenta, tum etiam, vt calumnia tua Baronium liberem. In re autem adeo seria pertractanda hoc nobis ordine incedendum, vt primum a tuis argumenta illa petamus, quibus idem priuilegium in vehementem suspicionem falsitatis adducatur; inde reliqua subijciamus, quibus imposturæ manife-

stissimæ

ſtiſſimæ conuincatur. Quod igitur ad primum attinet, Leo Oſtienſis ipſo ferme exordio Chronici Caſſinenſis de legitimo priuilegio Zachariæ Papæ concesſo eidem monaſterio agens, eiuſdem ſic referat argumentum:[a] Ab hoc etiam Papa ſanctiſſimo prædictus Abbas priuilegium primus accepit, vt hoc monaſterium cum cellis omnibus ad ſe pertinentibus, vbicumque terrarum conſtructis ob honorem, & reuerentiam ſanctiſſimi patris Benedicti, ab omni Epiſcoporum ditione ſit liberum, ita vt nullius iuri ſubiaceat, niſi Romani Pontificis.] hæc Leo de his, quæ legitimo Zachariæ priuilegio continerentur. quæ minima cenſetur pars eorum, quę nunc dicto priuilegio adſcititio continentur, eademq. ad finẽ ipſius poſita, cum iſta præcedant longe maiora, quorum Leo in primis meminiſſe debuiſſet. Et quænam iſta? audi verba ipſa ibi deſcripta: Præterea corroboramus, & in perpetuum confirmamus eidem dilecto filio, eiuſq. ſucceſſoribus in omni conuentu Epiſcoporum, & Principum ſuperiorem vniuerſis Abbatibus ſedem, & in Concilijs, & iudicijs priorem ſui ordinis omnibus ſententiam proferre.] & paulo poſt: Pro quo Caſſinenſe cœnobium exaltantes, decernimus, atque in perpetuum confirmamus, vt ſupradictus locus dignitate, vigore, & honorificentia præcellat omnia monaſteria, quæ conſtructa, & conſtruenda ſunt in toto orbe terrarum, &c.] ſunt ne iſta eiuſmodi, vt eorum mentio minime habenda fuerit a Leone, dum veri diplomatis collegit argumentum?

a Chron. caſ. lib. 1. c. 4. in fine.

Sed & cũ in hoc eodẽ adſcititio priuilegio adeo indubitata & expreſſa mentio fiat de venerandis corporibus S. Benedicti, & S. Scholaſticæ in eodem monaſterio quieſcentibus:[b] cur idem Leo, cum acerrime diſputat aduerſus eos, qui aſſererent eadem tranſlata in Gallias, non citauit, quod noſſet, Zachariæ diploma, id firmiter aſſeuerans? An non ſunt hæc talia, quibus diploma merito debeat induci in ſuſpicionem falſitatis? adde his maiora.[c] Petrus diaconus, idemq. Caſſinenſis Bibliothecarius, qui quartum addidit librum ad Chronicon Caſſinenſe, agens de diſputatione habita coram Lothario Imperatore cum Gerardo S. R. E. Cardinali ſub Innocentio Papa Secundo, de iuribus & priuilegijs Caſſinenſium monachorum, cum citata ab ipſo contra aduerſarium afferat plurima de nobilitate, dignitate, & priuilegijs monaſterij Caſſinenſis, hincinde non ſine labore quæſita, de eiuſmodi tamen priuilegio Zachariæ Papæ mentionem nullam penitus habuit, quod certe primo loco citandum fuerat ob tot tamq. inſignia in eo poſita de eiuſdem monaſterij dignitate & priuilegijs: ex quo in eam perſuaſionem omnino adducimur, vt exiſtimemus, eo tempore nondum illud commenticium priuilegium fabricatum, ſed poſtea excogitatum, atque confictum. Nam ſi extitiſſet, tunc neceſſitas maior, quam vmquam fuerit, vrgebat, vt citaretur, atque oſtendendum aduerſantibus adduceretur in medium. Quis neget, iſta ex veſtris deducta vehementem de falſitate ſuſpicionem inducere?

b Leo Oſtien. chron. caſ. lib. 2. c. 44. & 45.

c Chron. caſ. lib. 4. c. 110. 111. 112. 113. & 114.

At quæ ſint illa, quæ idipſum priuilegiũ manifeſte redarguant falſitatis, & impoſturæ certæ conuincant, ſic accipe. Extant eiuſdẽ Zachariæ Papæ complu-

complura Scriptorum monumenta, immo & eiusdem generis priuilegiũ ab eo cõcessum nobilissimo Fuldensi monasterio tunc erecto, in quorum omniũ fine ad significandum tempus, quo ipsa data noscãtur, præter Indictionẽ, poni semper cõsueuit certus annus tũc regnantis Imperatoris, sicut inter alia expressum [a] habes in priuilegio concesso Fuldensi monasterio, in cuius fine leguntur ista: Dat. pridie Non. Nouembris, Imperante domino Augusto Constantino, anno trigesimosecundo Imperij eius, Indictione quinta.] Sic ibi, sicut & in ceteris eiusdem Pontificis diplomatibus, alijsq. publicis monimentis recitatis in Annalibus [b] per singulos annos, quibus ipse vixit. At cum hæc nota desideretur in isto diplomate commenticio Zachariæ, vbi nulla prorsus mentio Imperatoris: quis non intelligat imposturam? præter diuersam in nomine Notarij, & muneris eius nomenclaturam, quæ diuersa ponitur in vtrisque.

a Annal. to. 9. ann. 451. prope finem.

b Annal. to 9. ann. 741. vsque 751.

Insuper, ne ab his recedamus, cum idem priuilegiũ datum Cassinensibus habeatur Indictione prima annò primò eiusdẽ Pontificis: quomodo ista sibi cohærent, cũ primus annus eiusdẽ Pontificis incidat in decimam Indictionem? Rursus quomodo fieri potuit (vt iã ad res in eodem priuilegio contentas veniamus) vt Zacharias Papa muniat priuilegio illo, anno, vt asserit, primo sui Pontificatus dato, cuncta quæ concessa fuissent ab [c] Agisulpho, siue Agilulpho Duce Beneuentano, qui nondum eo tempore a Luitprando Rege fuerat institutus Dux Beneuentanus, occupante adhuc illum Ducatum Godeschalco? qui cum extremo tempore Luitprandi a Beneuentanis fuisset occisus, tum demum ab eodem Rege Agilulphus ijsdem præfectus est Dux: quæ quidem accidisse [d] noscuntur paulo ante obitum eiusdem Luitprãdi, quẽ incidisse liquet anno Redemptoris septingentesimo quadragesimoquarto, cum Zacharias ageret in Pontificatu annum tertium. Certe quidem post dictum Zachariæ priuilegium, ea præstita ab Agilulpho, Leo quoque Ostiensis cõmemorat. [e]

c Paul. diac. lib. 6. c. 56. 57. 58. edit. Plantin.

d Idem lib 6. c. 58.

e Leo Ostien. chron. cass. lib. 1. c. 5.

Præterea quomodo ibi ponitur, post Cassinense monasteriũ munitum fuisse eodem priuilegio nobile monasterium sancti Ioannis in Venere dictum cum pertinentijs suis (sic enim loquitur) si nondum id monasteriũ fuisse erectum, constare possit ex matricula, seu inuentario (vt vocant) eiusdem monasterij Cassinensis, scripto a sancto Abbate Bertario de rebus positis sub diœcesi Theatina, in qua idem monasterium, & bona eius essent? in quo nulla prorsus de eo mentio habetur. quod tamen si extitisset, pro insigni nobilitate sua primo loco recensendum fuisset. Recitat idem Bertarij documentum [f] Leo Ostiensis, quod tu consulere poteris. Quin si huius monasterij scriptorum fuissent etiam deperdita monimenta; tamen quæ extarent solo fixa ipsius bona, eius nomine fuissent omnino recensenda. quæ cum sub alienis titulis ibi posita esse legantur: plane satis euidenter apparet, nondum fuisse erectum tempore Zachariæ Papæ dictum celebre monasterium S. Ioannis in Venere. Ex his accipe & intellige, Constantine, cuius sint ponderis illa, quæ ibidem quoque scripta leguntur, quod Deus S. Benedictum patrem omnium constituit monachorum, quæ abs te, nulla de veritate diplomatis habita diligentiori peruesti-

f Idem lib. 1. c. 47.

peruestigatione, sunt affixa tamquam gemma pretiosissima in epistola nuncupatoria ad Clementem Papam, nesciente vitrū reiectaneum esse, quod putasti smaragdum.

Quid dicam de epistola eiusdem Zachariæ Papæ nomine ibi posita ad Petronacem Abbatem? Eiusdem plane farinæ cum priuilegio illo esse cognoscitur, in qua & eadē ex parte dicantur, quę in illo habentur; addatur vero illud absurdissimū, quod cum memoriam Sanctis conuenientē plenariam & solemnē fieri ipse iubeat; post sanctos Benedictum atque Scholasticam, Tertullum etiā atque Placidum, & simili modo Gregorium Papam prædecessorē, de sua pariter agenda memoria mox ista subijciat: Ac nostræ paruitati anniuersario depositionis die solemnem atque festiuam commemorationem faciant.] pari modo scilicet (quod præmisit) vt nominatis Sanctis dixerat faciendā. At quis Romanorum Pontificum vmquam, siue prędecessorum, siue successorum, sibi statuit post mortem reddendos honores debitos Sanctis, vt sic seipsum suo diplomate retulerit inter Sanctos, vt eorumdem cultum sibi reddendum præceperit sub anathemate? Facessant spuria ista stomachum ad nauseam permouentia!

Quid ad ista tu singula, Constantine? An satisfactum putas, si testificatione eius, quem citas Bibliothecarium Cassinensem, idē Zachariæ nomine priuilegium asseratur reperiri plumbatum in Archiuo Cassinensi, ac si id efficere impostori fuerit difficile, quod sibi, vt fidem aliquam mereretur, necessario sciret esse præstandum? Vel putas subsistere ex eo posse, quod reperiatur ab aliquibus esse citatum ex Scriptoribus vestris? Vel mihi persuadeam esse verum, quod asseris, [a] confirmatum a tribus Romanis Pontificibus, Gregorio Nono, Vrbano Quinto, & Bonifacio Nono? Non enim spurium, & falsum, quod nullum penitus est, dicendi sunt ijdem confirmasse, sed legitimum illud potius priuilegium, quod ab eodem Pontifice Zacharia Leo Ostiensis (vt diximus) affirmat eidem monasterio fuisse concessum. quod etsi non extaret; tamen quid ipso contineretur, satis ab ipso expressum fuisset. Quod si adhuc contendis, non illud legitimum, sed istud spurium ab ijsdem confirmatum: tunc præter primam falsitatem a nescio quo impostore patratam adijce alias perpetratas ab eis, qui per surreptionem falsi diplomatis, eas quas dicis confirmationes, surripuerunt. Tu vero, Constantine, si potiora foues iura, age, singula argumenta superius recitata conuelle, vt sic tibi tuisq. illud ipsum integrum vendices priuilegium; alias te sentias frustra aerem verberare, & dum non eas euerrendo, sed ita miscendo agitas sordes istas, scito te semper maiorē multiplicare luti congeriem, quæ iam ipsum aerem fœtore exhalante possit inficere.

Subdis [b] de Mariniano Archiepiscopo Rauennate, quod fuerit & ipse eiusdē S. Benedicti Regulæ monachus; sed cū constet fuisse ipsum S. Gregorij monasterij monachū, ad principium quæstio reuocāda est, an S. Gregorius fuerit monachus ordinis S. Benedicti, de quo disseritur. At quod subijcis [c] de Cassiodoro Senatore ex Trithemio, quod & ipse monachus fuerit ordinis S. Benedicti: haud patiar tantū mendacium ferri, illiq. a te

[a] pag. 242. vers. 2.

[b] pag. 249. vers. 23.

[c] pag. 250. v. 19.

H conjun-

coniungi, quo asseris ab eodem Cassiodoro Classense iuxta Rauennam ædificatum esse monasterium, illudq. Benedictinis monachis ab eodem traditum incolendum. Quisquis ista ex recentioribus nostri temporis Scriptoribus obiter dixerit absque accuratiori habita examinatione, non curo, cum idem ipse Cassiodorus, vbi locorum a se ædificatum monasterium fuerit, & quibus Regulis, & sub quibus Abbatibus institutum, suo stylo reliquerit aperte testatum: vt mirandum sit, te ista sicut & alia multa adeo secure profiteri, antequam eiusdem Cassiodori legeris commentarios, ad quos legendos, vel sero saltem, vt ista intelligas, prouocamus. Sed quot simul congesta mendacia? [a] Cassiodorum asseris ex auctore, quem citas, & probas, post necẽ Boetij Classense monasteriũ ex S. Benedicti instituto fundasse, eidemq. se dedicasse. Quod autem nonnisi vnum a Cassiodoro constet omnium testificatione erectum fuisse monasterium: quodnam illud ipsum fuerit, & vbi erectum, accuratius peruestigandum est. in quibus omnibus astruendis nemo negarit, maiorem fidem adhibendam esse ipsi Cassiodoro, quam ceteris omnibus. At quam diuersum a Classensi monasterio fuerit illud, quod Cassiodorus erexit, ex eius scriptis poteris intelligere; scies vero enucleatius, si Annales consulas, vbi de ipso agitur, anno Redemptoris quingentesimo sexagesimosecundo. Quam insuper longe post Boetij necem Cassiodorus monasticam vitam sit professus, ex eius scriptis quis non intelligat? cum constet perseuerasse post necem eius in obsequio Regum Gothorum ad plures annos. sed quod ipse sit amplexus Regulam S. Benedicti, vbi vel leue vestigium in ipsius scriptis, quæ ad suos monachos edidit de Institutione diuinarum lectionum? quis impressum poterit inuenire? Qui cum de se ipso testetur [b] fuisse annorum ætatis nonagintatrium anno Redemptoris quingentesimo sexagesimosecundo, iam viginti annis post obitum S. Benedicti, ne verbulum quidem de Regulis S. Benedicti in eodem commentario habet, cum agit de plurimis libris, quos legendos suis monachis tradidit. Quod quidem fauet illi sententiæ vestrorum, qui dixerunt post obitum S. Benedicti a Simplicio in Italia easdem Regulas promulgatas: sed reditum Simplicij ex Gallijs non ante quingentesimum octogesimum sextum annum contingere potuisse, ex Fausto in vita S. Mauri manifestissime est demonstratum. Sic igitur non solum ex Romanis S. Gregorius, sed & Cassiodorus perfunctus magistratibus nobilissimis, professione monachus in sua senectute, alterius tamen instituti fuisse reperitur, quam S. Benedicti. vt longe sit diuersum ab eo, quod asseris, omnes monachos eius temporis necessario ordinis S. Benedicti professores fuisse.

Inferius vero cum agis de monachis a S. Gregorio missis in Angliam, ad probandum eos fuisse ex institutione S. Benedicti, recentiores colligis auctores, etiam hæreticos id asserentes. Sicq. nos [c] acriter pungis, qui quod non negant etiam hæretici, negare ipsi ausi fuerimus. Ad hæc primum dicimus, non diuidendam hanc quæstionem a primaria, de qua agitur, sed eamdem esse cum illa, nempe, An S. Gregorius fuerit monachus

[a] pag. 251. ỹ. 5.

[b] Cassiod. de orthogr. in præfat. & de Comput. Paschal.

[c] pag. 255. ỹ. 6.

chus ordinis S. Benedicti, cum satis constet ex monasterio S. Gregorij Augustinum & alios collegas in Angliam missos esse progressos. quamobrem si S. Benedicti Gregorius monachus fuit, certum est, eiusdem ordinis suos misisse in Angliam monachos: si non fuit, stultum est dicere, missos suos monachos fuisse alterius ordinis cuius ipse non erat. Cum ergo a priori quæstione ista omnino dependeant, ea euicta, de ista non fuerit amplius disputandum, quod omni dubitatione penitus careat.

Sed præter hæc, quæ sufficere potuissent, adhuc ex ipso S. Gregorio atque Beda inferamus alia, quibus possimus perspicue intelligere, nequaquam S. Benedicti Regula vsos tunc temporis esse monachos Anglicanos. Atque primum ex Augustini consultatione de his ad S. Gregorium scribentis, & Gregorij ad eum respondentis argumentum accipiamus. Est ista Interrogatio Augustini: Quæro, Pater beatissime, de Episcopis, qualiter cum suis clericis conseruentur?] respondit ita inter alia ad ista Gregorius; In ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo, nuper ad Fidem perducta est, hanc debet instituere conuersationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquid suũ esse dicebat, sed erant illis omnia cõmunia.] hæc ad Interrogationem Augustini Gregorius, præter hæc nihil amplius. Cui, si fuisset ipse S. Benedicti monachus, vt tu vis, & eiusdẽ Patris Regulã Anglicanis clericis prescribendã (quod tu asseris) in Angliã intulisset; eamq. ab eisdem obseruari S. Gregorius voluisset: haud satis sufficienter ab eodem Gregorio responsum videri potuisset, vt tantũ seruaretur ab eis, quæ in Ecclesia primitiua Apostolorum tempore seruabatur, nimirum, vt omnia inter eos cõmunia essent; sed addi necesse fuisset, vt præter hæc S. Benedicti Regulam eisdem seruandam proponeret.

At quomodo ea, quæ rescripsit sanctus Gregorius ad Augustinum, per ipsum & alios fuerint in praxim deducta: ex Beda, qui aderat, videbat, atque scribebat, accipiamus, qui de sancto Aidano primum agens hæc ait: [a] A temporibus antiquis ibidem Episcopus cum Clero & Abbas solebat manere cum monachis, qui tamen & ipsi ad curam Episcopi familiariter pertinerent. Quia nimirum Aidan, qui primus eius loci Episcopus fuit, cum monachis illuc & ipse monachus adueniens, monachicam in eo conuersationem instituit, quomodo & prius beatus pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente ei reuerendissimo Papa Gregorio, quod & supra posuimus, &c.] Recitat eamdem de his S. Gregorij responsionẽ ad Augustinum, superius a nobis descriptam. Idemq. Beda de ijsdem in S. Cutberto agẽs hæc ait [b] de successoribus Aidani: Vnde ab illo omnes loci ipsius Antistites vsque hodie sic Episcopale exercent officium, vt regente monasteriũ Abbate, quem ipsi cum consilio Fratrum elegerint, omnes presbyteri, diaconi cantores, lectores, & ceteri gradus ecclesiastici, monachicã per omnia cũ ipso Episcopo Regulã seruent.] Sed quã Regulã? non Benedicti nominat, sed quã idẽ mox subijcit ista dicẽs: Quã viuendi normam multũ se diligere, probauit beatus Papa Gregorius, cũ sciscitãti per litteras Augustino, quem

[a] Bed. de hist. Angl. lib. 4. c. 27.

[b] Bed in vita S. Cutberti. c. 16.

primum genti Anglorum Episcopum miserat, qualiter Episcopi cũ suis clericis conuersari debeant, respondit inter alia: Sed quia tua fraternitas monasticis regulis erudita &c.] vt supra. hactenus Beda de Regula per S. Gregorium præscripta Augustino seruanda. At quantum abhorreant ista ab ipsa S. Benedicti Regula, vt Abbates vna simul cum Episcopis degerent; sciunt omnes qui legerunt ipsam. cum præter hæc & in vestitu disparem fuisse Regulam monachorum Anglorum a Regula S. Benedicti, ex eodem Beda dicturi sumus inferius, quibus plane intelligas Regulam primitiuorum monachorum Angliæ, a S. Gregorio Augustino (vt audisti) præscriptam, fuisse omnino diuersam a Regula patris sanctissimi Benedicti.

Quod vero tu his omissis, ad tuam sententiam comprobandam vteris recentioribus Scriptoribus testibus, multorum sæculorum intercapedine separatis: dicimus quod alias diximus, & ratio semper dicere cogit, recentioribus de antiquioribus haud simplici assertione credendum, nisi antiquiorum adminiculo adiuuentur. Quod & tu ipse, Constantine, cum sapis, ingenue profiteris, cum statim subdis:[a] Non reijcio in his, quæ conuenientia, & congruentia ceteris Scriptoribus, & maxime antiquis, litteris mandarunt, sed eos summa veneratione suscipio & obseruo. At in his, in quibus ab antiquis eos discrepare video, & a communi sententia, nullo præuio solido veritatis fundamento discedere conspicio: in ipsorũ suspicionem abire non possum &c.] ita tu, & quidem sapienter. Vnde tuis te verbis adstringam, quotiescumque recentiorum adducis testimonia (quod frequentissime facis) qui aliquid testentur simpliciter arbitratu suo: cum tales tua sententia non sint admittendi; vt autem admittãtur, his debeant conditionibus recipi, si ab antiquis non discrepent, alias nullus locus sit quidpiam nitentibus affirmare suspicionibus suis. At huiusmodi esse vt plurimum testes tuos quis non intelligat? Qui dum de antiquioribus aliquid asserunt, nullis id antiquiorum testimonijs, quod dicunt, astruant, sed velut obiter dictum transiliant, nulla mora interposita, vel consideratione, aut disquisitione adhibita, sint ne vera, vel falsa quæ dicunt. Sic igitur tua sententia transilire liceat nubem tuorum testium, qui ijsdem, quæ requiris, non polleant signis. Quod ad quæstionem vero propositam spectat de monachis, eos ferme omnes amplexatos postea esse S. Benedicti Regulam, quis negabit? vt plane in his frustra labores, cum idipsum de his sentiam quod tu sentis, & attestatio Alcuini nequaquam a nobis reuocetur in dubium, quam veneramur, & amplectimur, qui tamen id non dicit, quod tu ipsum asserere dicis, cum Bedam ab eo laudatũ fuisse, vt S. Benedicti monachũ affirmas. sed ad alia.

Inter hæc autem differenda in vno ex tuis interlocutoribus hæc ingeris:[b] Certe ingenti admiratione obstupesco, obstupescent etiam posteri, & mirabuntur nouitatem tantæ rei. multo vero magis mirabuntur propositi illius, qui primus huius controuersiæ auctor fuit.] sed vnde admiratio ista? si ex rerum ignorantia, vtique dimouenda est rerum cognitione & peritia. quæ cum asseritur, admiratione ac plane stupore iure as-

[a] pag. 255. §. 13.

[b] pag. 257. §. 27.

re afficiat homines, quomodo hactenus de his falsa crediderint offusi caligine ex ignorantia inualescentis erroris; at hoc nomine non indignentur admouenti lucernam veritatis errantibus, sed gratias agant.

Cum vero illud omnino sit in Ecclesia Catholica exploratum, errorẽ aduersus veritatem præscribi nulla quauis longitudine temporis posse, vt pluribus disputat Tertullianus libro de Præscriptione: tu tamen quã perperam, dicam & erronee, mox subdis: Mendacium quod non obsit, esse in Ecclesia retinendum? sunt ista verba tua: [a] Cum etiam (inquis) si verum non esset, Gregorium professum esse institutum nostrum: nullum tamen detrimentum, nullius rei iacturam ex tam antiqua traditione Ecclesiæ Dei vel Fidei Catholicæ consequeretur.] Quid ais, Constantine? compello te, conuenio verbis tuis. Vis in primis illis asserere, S. Gregorium haberi monachum Benedictinum, esse traditionis Ecclesiæ, vel Fidei Catholicæ? Sed vnde hoc tibi, & quæ auctoritas tanta tua, vt credenda Fidelibus augeas, & ingeras pro arbitrio Christianis? Quid in his tantopere abuteris nomine traditionis & Catholicæ Fidei? Cũ enim Fideles teneantur ex præcepto recipere traditiones ecclesiasticas, & cetera quæ sunt Fidei; dum asseris esse traditionis ecclesiasticæ, asserere S. Gregorium fuisse ordinis S. Benedicti: quid aliud agis, quam (quod hactenus inauditũ in Ecclesia Dei) vt sit de necessitate salutis asserere, S. Gregorium fuisse ordinis Benedictini? Appello aduersus te nouũ Symbolum Fidei in Ecclesiam inferentem, supremum Tribunal eiusdem Ecclesiæ.

[a] pag. 257. vers. 31.

Sed & his quoque, eadem tua sententia, deteriora miscuisse videris, dum etiam quæ non vera sint, contendis in traditionibus & ijs quæ sunt Fidei Catholicæ, absque detrimento, vel iactura aliqua esse recipienda. repetam verba ipsa tua ab exordio, & ob oculos ponam, vt quæ contineant ambiguam valde sententiam, quæ Fidei Catholicæ contradicat. ais enim: Et certe ingenti admiratione obstupesco, obstupescent etiam posteri, & mirabuntur nouitatem tantæ rei; multo vero magis mirabuntur propositi illius, qui primus huius controuersiæ auctor fuit: cum etiam si verum non esset, Gregorium professum esse institutum nostrum; nullum tamen detrimentum, nullius rei iacturam ex tam antiqua traditione Ecclesiæ Dei, vel Fidei Catholicæ consequeretur.] fateor, ad hoc auditum expaui, & vitiatam esse sententiam errore Typographi ad excusationem tui ipsius interdum existimaui: vt germana textus lectio hæc esset: Nullam iacturam ex tam antiqua traditione Ecclesia Dei vel Fides Catholica consequeretur.] sed errata consului ad calcem posita, in quibus cum sint plurimæ mendorum correctiones, & hanc non reperiam, quid dicere possum, nisi volentem errasse? Corrigendus igitur, detestandusq. in vna sententia duplex error, quo dupliciter Catholicæ Fidei regulam lædis, vel cum inter Ecclesiæ traditiones & quæ sunt Fidei, & quæ non sunt vere traditiones, nec sunt Fidei, inferuntur, & mendacium in Fide Catholica absque detrimento vel iactura aliqua tolerandum aliquo modo videaris asserere. Quæ plane eiusmodi esse noscuntur, quibus omnes simul nerui Catholicæ Fidei succidantur. Verum

puto,

puto, te non sentire ista, sed quæ sunt pia & orthodoxa; at vitiosa oratione te ipsum his nexibus implicuisse, vt absque dubio, quid de his sentias, sis serio interrogandus.

a pag.259. vers. 30. b 16. q. 1. c. sunt nonulli. In eo autem quod inferius [a] affers auctoritatẽ Bonifacij Papæ Quarti, ad significandum S. Gregorium fuisse monachum ordinis S. Benedicti; eamdemq. apud [b] Gratianum in libro Decreti positam, ista præmittis: Cuius rei argumentum alia etiam ratione, ante oculos tam mentis quã corporis tibi exhibere posse, citra omnem dubitationem confido. cui nisi prorsus obfirmata fronte fueris, quod haud credere possum, tuam possit penitus retundere, immo radicitus euellere suspicionem.] ita tu. o vtinam quod polliceris, præstare possis. Non inuideo (testis est Deus). nam quæ inuidentiæ causa esse possit, vt ægro feram animo, S. Gregorium dici monachum Benedictinum? nulla penitus: quin magis certe gauderem. At ne faciam, veritas, quæ in primis audienda est, vetat, cuius imperio omnes cedant, cum & ipse dicat Apostolus: [c] Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate.] Ceterum non desunt innumera loca, quibus eadem sacrosancta Congregatio Cassinensis, ex qua tamquam e fonte lucidissimo vniuersus Benedictinus ordo manauit, atque aliæ plures sanctorum monachorum Congregationes sunt deriuatæ, gloriosissimis laudibus possit extolli, ijsdemq. verissimis: vt non opus sit pulcherrimam Christi sponsam, iam matronali grauitate decoram, huiuscemodi pigmentis & fucis, fictis ac mentitis coloribus comparatis delinitam reddi deformem: prout tu facere niteris; cum ego e vultu veneranda maiestate micante superinductas eiusmodi sordes abstergere, digne, iusteq. laborem.

c 2. Cor. 13.

Quid igitur dicam de Bonifacij Papæ Quarti decreto abs te citato, ac recitato, quod tãti facis, tumescẽs ex eo, vt secure iam dicas, ipsum omnem dirimere controuersiã, vt de his nõ relinquatur locus amplius dubitandi? Illud sane & apposite (cũ detumescere fecero tumorẽ istum) ex diuino oraculo comparatũ: [d] Hic confringes in te tumentes fluctus tuos.] quos iam in tenuẽ spumã videris resolutos. Ita magnifacere, Constãtine, consueuisti res tuas, vt incutere timorem possis etiam animi fortitudine præditis; verum risum moueas, cum eædẽ propius cognitæ, quam inanes sint, deteguntur. At vtinam inanes tantum inuenirentur; & non subdolæ, commenticiæ, adulterinæ, ac penitus falsæ in summum tuæ existimationis præiudicium ostendi possent! Accedit autem hoc loco, non quod superius de epistola Abbatis Fundani abs te recitata, & a nobis manifestæ imposturæ conuicta vidisse contigit: sed quod explorando solicitius veritatem textus Bonifacij decreti, abs te citati, & collatis pluribus diuersorum veterum codicum lectionibus, inuenerimus recitatum ipsum Bonifacij decretum decurtatum clausula vna; quæ cum omnẽ tuum euacuet argumentum, certe haud fiet, vt negligentia Librariorum id effectum existimare possimus, sed callide potius sic redditum, vt ex eo absque obice probari posset, quod tu inducis & asseris, ipsum S. Gregorium fuisse monachum ordinis S. Benedicti. Doleo (Deus scit) me necessitate

d Iob 38.

ceſſitate compulſum iſtam detegere fraudulentiam in textu corrumpendo patratam. Aperiam tamen, quod id extorqueat a nobis inuitis tanta tua de victoria ex eo iam conſecuta iactantia. reddamus igitur primum verba textus, quem citas. ſunt iſta.

Sunt nonnulli, [a] nullo dogmate fulti, ſtulti magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, aſſerentes, monachos, quia mundo mortui ſunt & Deo viuunt, ſacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem, ſeu abſolutionem largiri poſſe per ſacerdotalis officij iunctam gratiam. ſed omnino falluntur. Nam ſi ex hac cauſa veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ Sedis compar beatus Gregorius monaſtico cultu pollens ad ſummum apicem nullatenus conſcenderet, cui ſoluendi & ligandi poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque eiuſdem ſanctiſſimi Gregorij diſcipulus Anglorum prædicator egregius, alijq. quamplurimi ſanctiſſimi viri, pretioſiorum monachorum habitu fulgentes, nequaquam a quoquam pontificali officio ſubarrarentur. Neque enim Benedictus monachorum pater & præceptor almificus huius rei aliquo modo fuit interdictor.] hæc Bonifacius. Quo certe decreto (ſubijcis mox tu ipſe) luce ſolari clarius redditur, & Gregorium & Auguſtinum fuiſſe monachos inſtituti ſanctiſſimi patris Benedicti. dicat quidquid velit quidam Conſtantinomaſtix. Nam cum Gregorius & Auguſtinus monachi fuerint, & ad ſolium Pontificale tracti: illud obtinere potuerunt vtique, quia hoc a patre & præceptore eorum Benedicto prohibitum non fuit, cum S. Benedictus abſolute dicatur monachorum pater & præceptor almificus. quod & gloſſa in eodem loco & ſenſit & notauit cum dixit: Quidquid ergo non prohibuit S. Benedictus, hoc monachis licet. non enim ſuis dixit, ſed tantum monachis, intelligens monachos omnes militare ſub Regula S. Benedicti. ex quo quid ſequatur, ſtultis etiam patet &c.] hæc tu. Sed quam male inducere poſſis ex recitato textu S. Gregorium fuiſſe diſcipulum S. Benedicti, ſatis illud declarat. Quia ſicut certum eſt, cum dicitur in textu S. Benedictus monachorum pater, includi eos minime potuiſſe, qui ſemper militarunt & militant vſque hodie ſub Regula S. Baſilij, ſed tantum monachos illos qui ſub ipſius Regula viuebant; ita neque Gregorium vel Auguſtinum qui alterius Regulę fuiſſe probantur, contineri: adeo vt ſuum ad principiū quęſtio reuocetur, num ſcilicet S. Gregorius fuerit monachus inſtituti S. Benedicti, nec ne. Ex gloſſa autem quod arguis, ad S. Gregorium vtique male deducis. Nam cum textus a Gratiano recitetur mutilus, & prætermittantur illa omnia de ſanctis Gregorio atque Auguſtino exempla, non potuit gloſſæ auctor diuinaſſe de eiſdem Gregorio, & Auguſtino, quod ex verbis illis comprehenſi ſint ſub Regula Benedicti. hæc itaque ſatis, eſſe poſſent ad eludendum, & ad nihilum redigendum Enthymema tuum, quod dicis fortiſſimum eſſe.

Sed iam patratum ſcelus in textus deprauatione aperiamus. Quænam autem maximi momenti a textu per Conſtantinum recitato, ſint dolo malo ſubducta, Lector attendat. Antiquiores Collectores canonum, qui longe

[a] pag. 160. verſ. 17.

longe ante Gratianum floruerunt, præstantissimi habentur Iuo Episcopus Carnotensis, & Anselmus Episcopus Lucensis, ambo doctrina, ac pietate clarissimi. Hi quidem intulerunt in suum ipsorum volumen illud ipsum integrum, idemq. prolixum Bonifacij Papæ Quarti decretum. præter hos autem auctor Collectionis, quæ inscribitur, Polycarpus, eundem quoque textum, vt se habet, prolixe descripsit. In quo quidem, quod spectat ad rem nostram, singulorum ipsorum singula accipe verba.

a Iuo par. 7. c. 22. ac primum, [a] sic Iuo: Nam si hac ex causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ Sedis compar beatus Gregorius monastico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem ostiatim fungendi, ligandi, soluendiq. officio potestas summa conceditur. Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus Anglorum prædicator egregius, & PANNONIENSIS BEATVS MARTINVS, alijq. quamplurimi viri sanctissimi pretiosorum monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrarentur. neque enim Benedictus monachorum præceptor huiuscemodi rei aliquo modo fuit interdictor, sed eos sæcularium negotiorum edixit expertos fore solummodo, &c.] ita apud Iuonem, cuius codex Decretorum iam præ

b Ansel. lib. 5 post. c. 95. manibus omnium cusus habetur. sic & Anselmi [b] Decretum, cuius exemplar scriptum Vaticana bibliotheca possidet, in quo pariter post Augustinum S. Martini nomen, vt in Iuone vidisti, cum huiusmodi additamento sic exprimitur: Augustinus eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus Anglorum prædicator egregius, ac PANNONIENSIS MARTINVS BEATISSIMVS, CVIVS SANCTITATIS FAMAM, LONGE LATEQ. DIFFVSAM, TOTVS PERSONAT MVNDVS, alijq. quamplurimi sanctissimi pretiosissimo monachorum habitu fulgentes nequaquam annulo Pontificali subarrarentur, sed quia monachi fuere, prædictis vti prohiberentur. Neque enim Benedictus monachorum præceptor almificus huiuscemodi rei aliquo modo fuit interdictor, & vt supra.] Ita pariter legitur & in Polycar-

c Polyc. lib. 4. tit. 34. po, [c] quæ Collectio habetur in Vaticana bibliotheca numero MDCCCLII. ijsdem verbis, quæ iterum hic reddere non piget: Augustinus etiam eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus prædicator egregius, ac PANNONIENSIS MARTINVS BEATISSIMVS, CVIVS SANCTITATEM LONGE LATEQ. DIFFVSAM TOTVS PERSONAT MVNDVS, alijq. quamplurimi, &c.] vt supra.

Ecce tibi, Lector, ipsa germana lectio ex tribus antiquis auctoribus restituta. ex quibus vides, qua versutia in lectione, quam recitat Constantinus, fuerit subductum nomen S. Martini, quo stante, relatio illa ipsius de Benedicto ad S. Gregorium fieri nullo modo potuisset, vt S. Benedictus superius nominatorum Gregorij, Augustini, atque Martini pater atque magister assereretur, cum S. Martinum longe ante S. Benedictum vixisse constet. Quod igitur nomen ipsius S. Martini esset omnino impedimento, ne illa fieri posset inductio, expuncto illo, atque sublato,

ea lectio, quam audisti, est edita a Constantino. Sed sint ista, Lector, obsecro, apud te, nec diuulgentur apud alios: semper enim monachorum existimationi est pro viribus consulendum. nam satis ad pœnam fuerit erubescentia eius, quia iuxta Comicum, Si erubuit, salua res est; siquidem non nisi de valde improbis illud est sacrum oraculum: [a] Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.] in quem statum, absit, vt quisquam sancti ordinis monastici homo deficiat. Quod autem citat ipse codicem bibliothecæ Columnensis, cuius sit titulus (vt ait) Variorum sermonum, ipsum perquisitum hactenus inuenire non potui, nec puto requirendũ in libro Sermonũ eiusmodi Bonifacij Quarti Papæ decretum, quod non nisi in Collectionibus canonũ consueuit esse receptũ. [a] *Ier. 3.*

Sed quid faciam, cum obruar falsitatibus, si quod monachus sis, non timeas legis Corneliæ fasces? nam audi quid paulo post dicas: [b] Quod autem Augustinus ædificasset monasterium Benedictinum in Anglia ipsa, testis est etiam Beda ipse, qui sua historia de Ecclesia Anglicana hæc habet: Fecit autem & monasteriũ non longe ab ipsa ciuitate ad Orientem, in quo eius hortatu Edilbertus ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli extruxit a fundamentis, ac diuersis donis ditauit.] hæc ille. & hucusque tu. Vbi ergo in his mentio, quod illud monasterium fuerit Benedictinum, vt profiteris, a Beda dictum? & sequenti pagina sic habes: [c] Cutbertum autem illum cum Aidano fuisse ex instituto sanctissimi patris Benedicti, liquet clarissime tum ex illis verbis: Vt regente monasterium Abbate, quem ipsi cum consilio Fratrum elegerint. quibus expresse ostendit, Regulam in ordinando Abbate ipsius sanctissimi Patris seruatam fuisse &c.] At quid tam commune omnibus monachorum ordinibus tum Orientalium, tum etiam Occidentalium, quam vt per monachos Abbatis electio fieret? sunt hæc istiusmodi tua argumenta, quibus paginas multiplicas, vt vel hoc vno excedas aduersarium, si grandiori eum superes libro, in quo tibi cedimus, quod veritatem tuemur, quæ non indiget verborum ambitu, vt mendacium. [b] *pag. 262. vers. 12.* [c] *pag. 263. v. 22.*

In eo autem quod Beda sanctum Benedictum patrem nominet, nihil est quod arguere possis, eius se fuisse discipulum, cum ibidem & S. Antonium eodem titulo, & maiori præconio appellet, dicens: [d] Reuerendissimi & sanctissimi patris Antonij sequebatur exemplum. At vis discere, eosdem monachos Anglicanos alterius fuisse instituti, quam sancti Benedicti? hoc saltem vno accipe signo a te ipso ex Ioanne diacono in argumentum deducto, nempe quod monachi S. Benedicti præcingerentur zona pellicea latitudinis pollicis vnius: at vero S. Cutbertum linea vsum zona, idem Beda eius [e] vitæ auctor affirmat. sed adde adhuc aliud. Tu constanter affirmas, monachos Benedictinos ab ipso principio Regulæ vti consueuisse vestimentis nigri coloris, quod & testatur Petrus diaconus in disputatione sub Innocentio Papa Secundo & Lothario Imp. & tamen S. Cutbertum cum suis vti cousueuisse vestimentis ex lana nulla tinctura infecta, sed naturalis coloris qualiscumque esset, idem ipse testatur [f] Beda. [d] *Bed. in Cutbert. c. 19. in fine.* [e] *Idem ibid. c. 23.* [f] *Id. ibid. c. 16. in fine.*

Post

a pag. 268. vers. 18.

Post hæc potentissima (vt tibi visum) insurgis [a] coniectura, nempe S. Gregorium scripsisse ad Arrigem Ducem Beneuentanum de restauratione cœnobij Cassinensis,idq.constare dicis ex epistolis ipsius Gregorij ad eumdē datis,quas,ais,non inueniri impressas, sed asseri idipsum a Sabellico. Primum ad hæc respondemus, quod cum Paulus diaconus [b] de consuetudine eiusdē Gregorij cum ipso,& epistola ad eum scripta agat, nec meminerit de alia epistola pro restauratione Cassinensis monasterij ad eum data ipse monachus Cassinensis: an sit verum quod Sabellicus tradit, magnopere in dubium reuocatur. Deinde esto quod scripserit: plane ex Pōtificio munere id fecisse potest intelligi, vtpote cui inerat cura omnium Ecclesiarum, vt apparet ex omnibus eius epistolis positis in Registro. At tu tanti facis eiusmodi leuissimam coniecturam, & incertissimam assertionem,vt dicas de Blondo & Sabellico [c] hæc afferentibus: Auctoritas autem horum duorum grauissimorum virorum ea est, vt nisi fronte perfricata reijci non possit, & ita refellit ea, quæ nouissimus ille tuus Scriptor exarasse dicitur,vt penitus non scripsisse,sed somniasse videatur.] ita tu derisionibus rem agis,appetens S. R. E. Cardinalem, qui tibi ita deliranti parcit, tui commiseratione commotus, quod monasticos mores sic exueris. Sed illud ridiculum, quod subijcis de S.Gregorio, quod (vt ais) non inueniatur scripsisse pro restauratione monasterij S. Equitij, sicut S. Benedicti,ex eo conuinci,non ex S. Equitij, sed ex S. Benedicti ordine fuisse. At quis scit,an omnino Equitij monasterium reparatione indiguerit, vel quod destructum, vel quod non fuerit ante hæc tempora restauratum? Vel quomodo tu scis,non scripsisse? dices, quia litteræ non extant. atqui nec datæ de restauratione Cassinensi extare dicuntur.

b Paul. diac. lib. 4. c. 19. in noua edit.

c pag. 269. vers. 3.

d pag. 269.

Inferius autem post derisiones narras [d] tuam diligentiam,Romæ dum esses, exhibitam in peruestigandis antiquis monimentis monasterij S. Gregorij in Cliuo Scauri, quibus totus intentus non vidisti præsentia ob oculos posita, nempe monachos ibi degentes non esse montis Olivueti, vt scribis, sed Camaldulenses; nec vidisti, seu non vidisse dissimulas, in Oratorio S.Andreæ,loco primario,habitum monachorum S.Gregorij in antiquis picturis non esse nigri coloris, vt tu contendis fuisse Benedictinorum, sed castanei; quo vel saltem signo discere potuisses, ipsum a Benedictinis fuisse distinctum.

Addis post hæc, te nactum codicem prægrandem membranaceum, in quo essent descripta antiqua atque recentia eiusdem monasterij diplomata: & inter alia diploma Bonifacij Papæ Octaui abs te citatum in margine, non (vt abs te signatur) pagina ducentesimaprima, sed trecentesima quinquagesimasecunda, in quo ista leguntur, quæ ita a te recitantur: Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Abbati & Conuentui sancti Gregorij in Cliuo Scauri de Vrbe, ordinis sancti Benedicti &c.] in his autem litteris, inquis, renouat priuilegium Innocentij alias concessum eidem monasterio, quod incipit: Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei &c. & infra: Ea

propter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & monasterium S. Gregorij in Cliuo Scauri de Vrbe, in quo diuino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostro protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt ordo monasticus, qui secundum Deum, & beati Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter seruetur &c.] Datum Anagniæ anno quinto Pontificatus.] subijcis alia diplomata ibi scripta reperiri, in quibus asserantur monachi ibi degentes esse ordinis S. Benedicti. post hæc autem longissimam subdis disputationem, An, & quando verba enuntiatiua fidem faciant ad probationem. sed incassum laboras. Etenim concedimus tibi (si id cupis) verba illa etiam esse dispositiua (vt appellant) siue etiam sententiæ definitiuæ, nempe vt Innocentius, & Bonifacius ea repetens, aut etiam alij, definierint decreto Pontificio, monachos in eodem monasterio degentes esse ordinis S. Benedicti, & in eo institutum esse ordinem monasticum secundum ordinem S. Benedicti.

Vide Constantine, quam liberaliter tecum agam, vt liberem te ab illa difficultate probandi enuntiatiuas propositiones fidem facere, cum velimus, fidem facere omnino, perinde ac si essent sententiæ definitiuæ, ibiq. degentes monachos esse ordinis S. Benedicti, illicq. institutum ordinem monasticum secundum Regulam S. Benedicti, cum constet post expulsos inde Græcos monachos (vt tradit Ioannes diaconus) S. Benedicti Regulæ monachis illud monasterium esse traditum. at quid ad rem? Nam quid ad Gregorium, de quo est disputatio, asserere quod in idē monasterium introducti sint monachi ordinis S. Benedicti? ergo sequitur S. Gregorium eiusdem ordinis fuisse? cum teste etiam te ipso liqueat, quāplurima monasteria diuersorum ordinum suscepisse postea seruandam Regulam S. Benedicti. Quid enim, (vt hoc exempli causa ponatur) cum in diplomate Gregorij Papæ Decimitertij, quo est facta concessio eiusdem monasterij monachis Camaldulensibus, dicatur, vt ibi degentes monachi obseruent eas omnes constitutiones, quas obseruare consueuerunt cœnobitæ Camaldulenses: numquid aliquis ex his inferre poterit, S. Gregorium fuisse monachum Camaldulensem? At nec considerasti, Constantine, non dici ab Innocentio Papa monasterium illud erectū esse secundum Regulam S. Benedicti, sed in eo institutum esse ordinem monasticum secundum Regulam S. Benedicti: sicut cum dicit Gregorius Decimustertius Papa, in eodem institutū esse monachorum ordinem secundū Regulas Camaldulensiū cœnobitarum, vt eas ibi obseruent. Nihil ex his igitur refers lucri, sed damnum potius, cum id factum scribat Ioannes post eiectos inde monachos Græcos, quando id monasterium datum est Benedictinis.

Attamen tu ipse more tuo tunc amplius victoria velut adepta exultans, cum magis causæ succumbis, ista subijcis: [a] Quare nescio quo iure recentissimus ille tuus Scriptor scribere potuerit, se valde mirari, cur quidam e nostris scribere ausus fuerit, & auctoritatibus probare, S. [a] pag. 278. vers. 27.

Gregorium monachum fuisse Benedictinum, nihil ducens tantam antiquitatem, quam aliter tradidisse, asserere conatur, cũ ex iam allatis manifeste constare perspicue appareat, eum valde hallucinari, cum neminẽ ex antiquis afferre possit, qui tradiderit, Gregorium alterius fuisse instituti, quam ante nos tot testibus prolatis probauimus.] hæc tu. ad quæ breuissime: Recẽtissimus iste auctor antiquissimorum nititur probatione, contra communem errorem, quem perperam (vt demonstratum est) tu nominas traditionem; Gregorij nimirum ipsius fultus auctoritate, eos hallucinatos ostendit, qui contrarium asseruerunt.

Ita pariter & inferius de victoria tamquam ex verbis Gregorij vendi-
a pag. 279. vers. 24. cata glorians, ista subijcis ex Concilio Lateranense sub Gregorio Papa: a Gregorius Papa exorsus est: Quam sit necessarium monachorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos officium informat, quod in regimine monasterij exhibuimus, &c.] pergis: Sed & ipse in sermone quodam habito ad monachos Cassinenses, satis aperte se ex eorum numero extitisse ostendit, cum inquit: Nos enim, qui monachi nuncupamur, inter Martyres computamur, si professionem nostram factis implemus. & infra: Claustralis enim inclusio, regularis districtio, vestium abiectio, Prælatorum inuectio, iuge silentium, alienum imperium. & paulo post. Nos vero iugo obedientiæ subditi, & regularium præceptorum loris constricti, non nos, sed alium sequimur imperantem, &c. ex quibus certe verbis, certius, quam vt probatione egeat, constare posse puto, nos vera asserere, cum dicat; se cum ipsis regularium præceptorum loris constrictum, nempe eiusdem Regulæ præceptis addictum. Quo quid clarius dici possit, videre nequaquam possum.] hucusque tu ex verbis (vt tibi vendicas) ipsius S. Gregorij. quibus abs te causam euictam ostentas. Bene actum, quod cum de tanta victoria exultas, non pariter aliquo scommate, vel dicterio insultaueris more tuo. sed iam quantopere decipiaris, attende.

Etenim nihil præterea ex recitatis verbis consequi poteris, quã probari ex eis, S. Gregoriũ fuisse monachum, & eo modo monachos allocutũ, siue in Concilio, siue per sermonem illum, quem citas, hactenus in Romana Ecclesia inauditum, quem habitum esse dicis ad monachos Cassinenses, cum tamen nec Cassinense tunc extaret monasteriũ, iamdiu ante a Longobardis excisum. quod si non ad eos, sed ad Lateranenses monachos vis habitũ esse: vtique dicendum erat, habitum esse non ad monachos Cassinenses, sed Congregationis Cassinensis. Sed absit, vt tua tantũmodo assertione nusquam Romæ cognitum sermonem S. Gregorij nomine accipiã, absque habita de eo diligentissima peruestigatione, cum non nisi in sancta quatuor Euangelia, & super Ezechielem ab ipso siue scriptas, siue dictas homilias fuisse, eiusdem Gregorij testificatione habeatur exploratum. Sed concederemus (tibi in his etiam indulgentes) sermonem abs te citatum esse legitimum ipsius Gregorij, nisi obstaret, quod auctorem sermonis illius longe alium a Romano Pontifice fuisse, necesse sit affirmare, dum in recitatis illis paucis abs te verbis, sæpe tamen profitetur auctor, se sub alterius iugo obedientiæ constitutum. At id dici a

Gre-

Gregorio Papa potuisse, vt sub Prælati sui fuerit obedientia, quam absurdum est? & Abbatem aliquem super Pontificem præfectum asserere, quã penitus inauditum? At dicere, ipsum Gregorium illa respectu aliorum, ad quos sermo esset, locutum esse: hæc si tu vera esse contendis, profecto ex verbis illis non elicies, quod prætendis, cum Gregorium ab illis velis exemptũ, si quæcumque de monachis ibi dicit, non ad ipsum dicentem, sed ad auditores monachos sint referenda. Vides igitur, Constantine, qualia sint arma tua, ex quorum vsu adeo securum polliceris tibi triumphum? & quam oporteat graui veritatis lance suspendere, quæ ex abditis consueuisti in lucem proferre?

Quid tandem? Ad testimonia confugis [a] recentiorum, quorum tamen inuenis neminem, qui de hac differuerit quæstione, sed quod quisque putauit esse verum, hoc obiter scripsit. Etenim quod ipsi omnes in S. Gregorij monasterio viderent monachos esse Benedictinos, quodq. apud Ioannem diaconum id quoque peritiores legere potuissent, & sparsum in vulgus audirent, S. Gregorium fuisse eius ordinis monachorum, qui in eius monasterio habitarent: absque alia ea de re diligentiori peruestigatione, inter scribendum, cum se occasio dedit, dixerunt & ipsi, S. Gregorium fuisse monachum ordinis Benedictini. Quorum ex numero in primis citatus abs te fuit S. Thomas, qui hæc dixerit: Beatus Gregorius de facultatibus suis intra Vrbis mœnia vnum monasteriũ, in Sicilia vero sex legitur construxisse.] Ita, legitur, apposite dixit, vt fides remaneret apud auctorem: & sic iuxta ea, quæ legi sciret, subdit, quæ sequuntur. Eadem ratio est de beato Gregorio, qui construxit monasteria secundum Regulam a beato Benedicto institutam.] hæc ex S. Thoma in opusculis, quem citas. Cui tanto Doctori cum in more positum fuerit, si quid vellet vt verum accipi, illud formato articulo subtilissime disputaret, obiectiones contrarias afferret, easdemq. refelleret, vt sic conclusio examinata subsisteret: si quid interdum (vt accidit) obiter ab eo dici contigerit, haud perinde sane accipi voluit, vt sancti Euangelij verba; cum præsertim, quæ tradit (vt hic fecisse cognoscitur) ex aliena se potius relatione referre fateatur. Accedit quod non hic versamur in scientijs speculatiuis, sed practicis, & in his, quæ sunt facti, in quibus quisque etiam sapientissimus possit errare, eoq. magis cum de ijs agitur quæ ante plurima sæcula acciderunt. Quod intelligens ipse S. Thomas, qui ea narrabat, quæ iã olim ante annos sexcentos & quinquaginta contigerant, magna cautela illud, legitur, apposuit, quo significaret, se potius referre, quod legerat, quam affirmare, quod certo scire ipse non potuisset. hæc ipsa plane de ceteris omnibus Scriptoribus, quos eadem scripsisse narras, dicta sunto; vt nõ sit opus referre singulos, quos absque firmiorum testificatione loquentes eadem asserta ratio respuit.

Ad postremum recitatis auctoribus recentioribus, qui videntur fauisse tuæ sententiæ, posita Arnoldi vestri monachi huius temporis scriptoris auctoritate, [b] subijcis ista: Quem etiam sannis prosequuntur, quod vocauerit Gregoriũ ipsum Archidiaconum, quo nomine etiam a multis, qui

[a] pag. 280. vers. 7.

[b] pag. 287. v. vlt.

a pag. 285. v. 7. qui ante eum de eo egerunt, vocatus fuit.] & paulo post: a Sed ego quorsum hæc? Ac si ipse Arnoldus is esset, qui perstrepentes muscas abigere flabello veritatis non posset.] eo vsque, Constantine frater, progressus es contumelijs, vt non verearis tibi contradicentes, muscas perstrepentes nominare! Sed falleris admodum: scies, vbi ista nostra perlegeris, ex infixis aculeis eas quas existimasti muscas, fuisse crabrones, quos te pœniteat irritasse, cum vnde euadas, quo effugias, non inuenies, vbique eorum aculeis confixus, atque perfossus, nec erit, vt leui flabello eos expellere valeas. Dimoue, vita, si potes, eum, qui tibi modo infigitur ob tuum Arnoldum aculeus. Dixit ille S. Gregorium fuisse S. R. E. Archidiaconum, cuiusdam (vt tu excusas) recentioris Scriptoris auctoritate. Anne potuit non risisse Baronius, audiens Archidiaconum asseri S. Gregorium, quem certo sciret vltimum diaconorum fuisse? Qui hoc testatur, fuit æqualis nostri Gregorij Gregorius Turonensis, qui non solum eodem vixit cum ipso tempore, sed (vt ipse tradit) Romam venit, & quæ scripsit, oculis vidit. hic ergo de S. Gregorij diaconatu agens, hæc habet: b Qui ante serico contextu, & gemmis micantibus solitus erat per Vrbem procedere trabeatus: nunc vili contentus vestitu, ad altaris Dominici ministerium consecratur, septimusq. Leuita in adiutorium Papæ adsciscitur.] hæc ipse. plane his significans, eum vltimum omnium creatum diaconum, vltimum locum nactum, vt septimus diaconus dictus sit in numero illo septeno diaconorum Cardinalium, quorum primus Archidiaconus esset. Sed deceptus est numerando imprudens Lector, dum inuerso ordine numerauit, atque primum diaconum putauit infimum, septimum vero summum. At vero primum diaconum eumdem fuisse Archidiaconum, accipe ex his, quæ habentur in exordio libri secundi epistolarum S. Gregorij istis verbis: Temporibus Gregorij Papæ, Consulatus Mauritij Augusti anno septimo, depositus est Laurētius, qui primus fuerat in ordine diaconij Sedis Apostolicæ, propter superbiam, & mala sua, quæ tacenda duximus, & factus est Archidiaconus Honoratus coram omnibus presbyteris, & diaconibus, Notarijsque, subdiaconibus, vel cuncto Clero in basilica Aurea.] hæc ibi. Ex quibus vides primum diaconum, eumdem fuisse Archidiaconum, quo titulo auctus, qui in locum ipsius est subrogatus, ita vt Gregorium, qui septimus ordine diaconus asseritur, eumdem diaconorum fuisse nouissimum, necesse sit affirmare. En, Constantine, tuo nunc flabello eijce muscam istam, quam pateris perstrepentem, tuis auribus permolestam.

b Greg. Tur. lib. 10. c. 1.

At num hic finis derisionum tuarum atque calumniarum, cum ad muscam vsque perueneris? minime gentium. Pauca ista tibi adhuc visa sunt, Constantine (quo impulsore spiritu, dicat alius) qui quidem eo licentius rem agis, quod sub velamento dialogi, mutatis nominibus velut imposita larua tegaris; tantoq. securius agas, quod cum Baronius modestiæ se causa e campo subduxerit, factus videri possit tamquam homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones. Sic igitur post tot tantaq. calumniose in ipsum allata; ad postremū prioribus deterio-

ra compingis. Cum enim iure redarguis auctorem illum, qui stulte admodum negauit S. Gregorium fuisse monachum: mox subijcis: [a] Quæ scilicet sententia, quod Gregorius non fuerit monachus, ex parte a te, & a tuis symmystis suscitata est, nullo licet fundamento veritatis nixa.] At quid illud est, quod ex parte dicis? Quanam ex parte cum illo negauit Baronius S. Gregorium monachum fuisse? Numquid vis omnes monachos, præter Benedictinos, non fuisse dicendos monachos, sed semimonachos, ex parte tantū? non puto te adeo delirare, licet hoc ipsum ex necessaria inductione dictum oportuerit; cū tamen Baronius constantissimus monachatus S. Gregorij fuerit semper assertor. Vides Lector, an alia maior in Baronium potuisset conflari calumnia, quam hæc fuit, quod scilicet ex parte negauerit, S. Gregorium fuisse monachum. Esto tu iudex, & tantæ calumniæ propulsator, non aliunde quam ex sexcentis locis Annalium, quibus plenissime S. Gregorius asseritur fuisse monachus. O si non me Baronius cohiberet, qualia experiri iacula cogereris!

[a] pag. 189. vers. 32.

Post hæc te conuertis ad ludicra, dum ex monacho graui atque seuero agere te delectat [b] mimum in scena, qui verbis his carpas aduersarium tuum: Ad argumentum vero, quod recentissimus ille tuus Scriptor fecit ab Ecclesia Romana, quæ, vt ait, numquam Gregorium depingere solita fuit monastico habitu,] ista tu reddis haud fideliter, aliqua mutilans. Nam dixerat, non consueuisse Romanam Ecclesiam S. Gregorium Papam pingere monastico habitu indutum, sed Pontificio, vt audiet Lector in Responsione. Tu vero vniuerse negans, mox ista garris: Responsum esse velim, illum aut captum esse oculis, aut eius caligasse oculos, vel specilla, seu orbicula illa vitrea oculis non adhibuisse, quibus vti solent hi, qui minus clare vident, quæ si adhibuisset, profecto vidisset in plurimis ecclesijs, vbi solent quatuor Doctores Ecclesiæ depingi, an Gregorius ipse habitu monachi subtus vestimenta Pontificia depingatur. Sed quid ego in re vniuerso orbi notissima laborare contendo?] hæc tu, mox ad alia diuertens. Sed siste gradum, licet inuitus, detineberis tamen, mecum annitente Lectore, qui arbiter sedeat iudicans, vter nostrum visu præstet. Facetum spectaculum! Dicas tu, Constantine, aduersarium tuum, vel cœcum fuisse, vel oculis certe caligasse, quod depictum S. Gregorium habitu Pontificio cum alijs tribus Latinis Ecclesiæ Doctoribus intus indutum monastico habitu non viderit; arguis vero amplius, quod ad id videndum specilla non admouerit oculis suis. Sed excuso, quod non putauerit inueniri specilla, quæ faciant videre quæ pictor subtus talarem lineam vestem prolixam valde, eius habitu Pontificio occultauit; cum quæ foris apparent tantum viderit, pluuiale, pallium, stolam, atque laciniosam lineam tunicam, quæ sinuosis rugis ea omnino occultaret, quæ subtus laterent, vt videri non posset, qualis intus sit ille tuus, quem dicis, monasticus habitus. Rogo te, detege, vt sic videat. Quod si facere renuas, quod non possis; credam tibi nihilominus asserenti intus latere monasticum habitum; sed cum illum dicis nigri coloris esse; te vt putem hallucinatum, facit, quod dictum est sæ-

[b] pag. 191. vers. 21.

pe, monachos S. Gregorij adhuc apparere in antiquis picturis Oratorij sancti Andreæ coloris fuisse castanei, quæ etsi non adeo antiquæ, vt sancti Gregorij tempore coloribus expressæ doceri possint: ex antiquioribus eas deductas, nemo puto, iure negarit. En vides, Lector, quam iuste Constantinus ipse nos subsannet; & velit omnino ipsis intueri oculis corporis, quę ipse tantum imaginetur oculis mentis. At omittimus cetera friuola, & ridenda potius, quam confutanda, vt inter alia illa de S. Equitio,[a] quem tu non magis inuidiose, quā calumniose exueris monastico habitu, non solum cum fœnum secaret in agro, sed (vt [b] ais) alias etiam cum vel foras procederet, vel domi maneret.] & quod tunc penitus Benedictinis caruerit vestimentis. Sed ex ijs etiam Benedictinum monachum non fuisse, satis intelligere potuisti, quem fingis postea pro animi leuitate non veritate trāsisse ad tuos, quos postea exortos esse, in Responsione docuimus. In qua, si quæ reliqua sint, quæ toto hoc tractatu desiderari posse contingat, copiose disputata, Lector, inuenies.

a pag. 296. v. 24. cum seq. pag. 297. 298
b pag. 297. vers. 22.

Hic vero Apologetici commentarij finis esto: ex quo abs te ante tempus Epinicium decantatum conuertatur in næniam, cum per illum tuus dialogus sit eodem plane tempore, quo est natus, extinctus; vt ad eius inuitandi sint funus, quos conuocaueras ad triumphum, ne penitus sepeliatur inglorius. Hæc nos cursim, his paucis diebus (quod tu mireris) aduersus ea, quæ tu pluribus frustra conatus es annis; ne queri posses, tui libri editionem esse dilatam. Expecta vero locupletiorem, fortioremq. tractatum, si his te, tuosq. non acquieuisse senserimus, cuius comparatione nos hic modo lusisse, cognoscas. Vale.

Finis Apologetici in Constantinum Bellottum monachum Cassinatem.



AD

AD LECTOREM ADMONITIO

QVA OCCASIONE AVCTOR scripserit ad alium Cassinatem monachum hanc, quæ subijcitur, Responsionem.

CVM innotuisset Annales legentibus, quæ de monachatu sancti Gregorij Cardinalis Baronius conscripsisset, dum eiusdem Pontificis auctoritate suasus, alterius potius quam sancti Benedicti ordinis eum fuisse monachum demonstrauit: visa est sententia ista duriuscula Benedictinis, qui Ioannis diaconi auctoritate ipsum vt suum sibi hactenus vendicassent. Quamobrem vnus ex eisdem Congregationis Cassinensis venerandus monachus, zelo iustitiæ motus, qua quisque auitam hereditatem tueri laborat, commentarium scripsit aduersus ea, quæ in Annalibus idem Baronius confirmasset. Cuius nomen silentio honorifico inuolutum idcirco relinquimus, ne videamur in certamen rursum reuocare nolentem, eumq; orationis aculeatæ stimulis subijcere, qui non cudendo sua, visus sit se a certamine subduxisse. Abstinuimus, inquam, ab eius nominatione consulto, ne vel nominando videremur eum quasi in triumphum ducere voluisse captiuum.

Hic, inquam, librum a se contra eam Baronij sententiam conscriptum antequam ederet, prudenter quidem modestissimi religiosi numeros explens, Romā misit ad dignæ memoriæ virum Camillum Illustrissimum Patriarcham Alexandrinum, per eū eidem Cardinali Baronio ostēdendum, vt si quid haberet neruosius, quo rationes a se allatas infringeret, proderet; & sic ipse quiesceret: sin minus (quod æquissimum esset) quidquid ea sentiendo, vt homo peccasset, vti veri amantissimus ipse corrigeret. Cognouit ipsum accurate Baronius, examinauit diligenter, atque exacte discussit; sed haud talem inuenit, vt discedere a sententia cogeretur. Verū vt eidem, qui cognoscendum obtulerat, satisfaceret, Responsionē hanc elaborandam curauit, quam per eumdem Alexandrinum Patriarcham eidem venerādo patri ostendi voluit. Qua ipse co-

gnita, ab edendi operis sui cupidine protinus destitit prudens volensque; atque illud intra domesticos parietes continendum putauit. Quod tamen cum apud suos notius factum fuisset: ex eo Constantinus ille Bellottus eiusdem ordinis monachus suam scriptionem consarcinasse cognoscitur; adeo vt perspicue appareat intuentibus, nihil fere amplius suo præstitisse labore, quam vt illas multiplicaret, quas legisti, calumnias,& petitas a diuersis falsitates hinc inde congereret, quas oportuit palam fecisse, atque vt audisti, pariter confutasse. Quod vero idem Bellottus & Responsionem hanc a nobis elaboratam, per amicum acceptam, compertam habuerit, & confutare totis viribus laborarit: vt intelligat Lector, quam vane, quam frigide & insulse, quam denique falso & calumniose id conatus sit: necessarium duximus præter illa, quæ superius dicta sunt, eamdem ipsam hic quoque, vt in Apologetico polliciti sumus, edere Responsionem. Cui ea præmittere,quæ in Annalibus Baronius habet;quibus scilicet inductus sit, vt S. Gregorium a Benedictino ordine dirimendum putarit, & qua in primis occasione ad hanc deuenerit edisserendam quæstionem, opus esse existimauimus.

Cum enim tomo Annalium Septimo, anno Redemptoris quingentesimo octogesimoprimo, præfecturæ Vrbanæ sancti Gregorij ratione, qua eo anno perfunctus est, deuentum esset ad eius monachatum, quem ante iniisse non potuit,quam eo vinculo solutus esset: eorũ in primis discussionem habendam putauit,quæ in eo argumẽto de se ipso S.Gregorius scriberet,cui aduersari,summæ dementiæ videretur;cum iam triplex reperiretur eius assertio vnius eiusdemq. sententiæ, iisdẽ ferme verbis expressæ, quibus ita habetur a Baronio recitata ex eiusdẽ Gregorij dialogorũ libris:[a] Vitæ venerabilis Valentius,siue Valentio, qui post in hac Romana Vrbe mihi, sicut nosti,meoq. monasterio præfuit,prius in Valeria prouincia suum monasterium rexit &c.] Hunc itaque,quem suum fuisse Abbatem,sibi,suoq. monasterio præfectum tertio dicit, cũ petitum constaret ex Valeria prouincia,vbi eadẽ muneris functione præfuerat monasterio, & eiusdẽ prouinciæ monasteriorũ præcipuus omnium Abbas S.Equitius fuisse sciretur, vt idem ipse S.Gregorius testatur: [b] iure deducendum Baronius

[a] Greg. dial. lib.4.cap.21. supra lib.1.c. 4.& lib.3.c. 22.

[b] Lib.1.c.4.

nius existimauit, ex illo S. Equitij germine suum in Vrbe monasterium a S.Gregorio institutum & propagatum; idq. (vt audisti) ex ipsa eius assertione tertium reperita.

Cúm insuper eo tempore, quo S. Gregorius profiteri cœpit vitam monasticam, nullum inueniretur superesse monasteriũ Casinense, iam diu ante a Longobardis excisum, vnde & monachi Romam migrassent ad monasterium Lateranense; cuius etiam Abbates cum sigillatim ab eodem S. Gregorio [a] recenserentur, nullum tamen eorum sibi, vel suo monasterio proxime posito præfuisse scriberet: iure pariter in eam sententiam idem Baronius induci potuit, vt assereret, distinctos fuisse penitus monachos Congregationis S. Equitij a monachis ordinis S.Benedicti; ipsum Gregoriũ vero illis nomen dedisse. *a Dial lib. 2. in princ.*

Ex quibus demum itidem merito redarguendum putauit Ioãnem diaconũ, qui alium a Valentione prouinciæ Valeriæ monasterij Abbate fuisse primum S. Gregorij institutorem enarret. hic cardo totius quæstionis, quam explicatam & elucidatam, atque ab obiectionibus vendicatam in Annalibus leges, vberius autem & locupletius in sequenti Responsione tractatam. Cumq. aduersantes, quod viderent nullo modo contradici posse ijs, quæ de se ipso S. Gregorius pluries affirmaret; illud in primis conati essent, si possent astruere, monachos illos prouinciæ Valeriæ eosdem fuisse cum monachis ordinis S.Benedicti: hoc ipsum idem Baronius in Additamento ad Annales apposito, ad ista respondens, eiusdem S.Gregorij assertione valide confutauit. hucusque, Lector, de his, quæ sunt in Annalibus pertractata.

Reliqua audies in hac, quæ sequitur, Responsione ad multiplices obiectiones postea illatas elaborata. Illã vero præcipuam, quã calumniose nimis idem Baronius patitur, dum nouitatis auctor ab ipsis asseritur, atque nouæ sententiæ inuẽtor ab aduersarijs sugillatur, conuulsorq. antiquitatis vna eorum omnium voce immani strepitu conclamatur; cum re vera nihil vmquam apud eum antiquius fuerit, quam de veneranda antiquitate in primis bene mereri, eamdemq. diu exulem postliminio reuocare, obrutamq. mendacijs pristinæ reddere veritati, vendicareq. in apertissimam lucem; quæ Cymmerijs offusa tenebris, tetro inclusa carcere delituisset inuisa

mortalibus. quo nomine iure ipsi plaudant cultores omnes eiusdem antiquitatis, laudibusq. immortalibus ornent; prædicent vero magis omnes studiosissimi veritatis, celebrentq. præconijs, cum eius studio eamdem ipsam suo fulgore nitentem, tandem e densa caligine emergentem aspexerint; eidemq. ex animo bene precentur: assurgant vero simul omnes ipsi Magno Gregorio, cuius triplici elogio communita, tanto præuio duce ipsa veritas læta atque secura procedat. quibus te iungendum fore, Lector, non dubitamus, si verus es cultor veritatis, atque studiosus custos antiquitatis; ab ijs procul abhorrens, qui cum erroribus, quos semel imbiberint, consenescere, ac denique mori, animo obdurato statuerint. Quibus solis certo scimus, ista Baronij, & quæ nos in eius defensionem elaboramus, placere non posse; quos merito vti profanos à suo templo semper arceant æditui Veritatis.



R. P. DOMNO. N.

MONACHO CONGREGATIONIS CASSINENSIS

ANTONIVS GALLONIVS Congregationis Oratorij Presbyter, S.



PRVDENTER quidem abs te factum est, vt librum tuum de sancti Gregorij monachatu, antequam prœlo subijceres, Romam mitteres ostendendum Illustrissimo ac Reuerendissimo Cardinali Baronio per tuos æque ac meos Illustrissimos dominos Caietanos. In cuius præfatione dum ais affectu sincero: Rogo, vt Illustrissimus Cardinalis Baronius, quē ego semper in honore habui, benigne excipiat, perspectaq. rei veritate, religioni nostræ gloriā, idest Gregorium S.R.E. Pontificem & Doctorē maximum, quem eripuit, ipse restituat.] id non nisi euicta causa, & errore conuicto, suadendum fuisset; immo nec opus erat: siquidem sponte id Baronius præstitisset, summaq. perfecisset alacritate. Ita enim comparatus est, vt cum veritatis vindicem agat & defensorem, quemcumque libenter audiat monitorem, summisq. gratiarum actionibus prosequatur eum, per quem ipse proficiat, cum veritatem interdum læsam, labantemq. ipsam ita firmari contingat. Vidit ipse quæ scripsisti, quæ etiam antea relatione piorum subodoratus, ijs satisfactum putauit, si in Parergis ad Nonum Annalium tomū appositis quædam adderet, quibus asserta Septimo tomo sententia firmaretur, confutarenturq. simul omnia, quæ in contrarium obijci potuissent. Nec tuæ ista scriptione permotus, ipsis aliquid addendum putauit, illud vulgatum vsurpans: Sapienti pauca: bene conscius, viris doctis satis esse persuasa, quæ scripsit. Verum, ne eius silentium in deteriorem partem accipi posset, cum fieri sæpe soleat, vt tacens tamquam veritate destitutus manus dedisse intelligatur: subij haud inuitus hanc ipse prouinciam, non vt assertam ab eo sententiam roborem (non enim quæ omni ex parte subsistit, nostro indiget fulcimento) sed vt, quæ tu multipliciter frustra obijcis, quam inanissima esse, demonstrem.

In cuius disputationis ingressu illud in primis persuadeas tibi velim, procul abesse debere a pio Sanctorum cultu mendacium: cum haud minor sit reputanda blasphemia, aliquid illis detrahere ex his, quæ habent, quam tribuere, quæ non habent. Etenim falsa laudatio irrisio est reputanda, non cultus; nec Deo placet oblatio, quam veritas non comitatur. Hinc illud mystice designatum, quod species omnes aromatum,

quibus

a Exod.30. quibus sacrum thymiama conficiendum erat,[a] pondere Sanctuarij prius expendi oportebat; vt his symbolicis signis ostenderetur, nullam, quantumuis religiosa videatur esse laudatio, quoquo modo pietatis intuitu comprobandam, quam prius sacra veritatis statera non ponderet. Sancta sancte colenda, nos docuere maiores; nec in his priuato vllatenus indulgendum affectui, sed cedendum in omnibus veritati. Absit igitur, vt quia S. Gregorium peculiarem nos patronum habemus, & sub eius titulo militamus, atque stipendijs viuimus, ipsi plus, quam decet, aliquid tribuamus, vel S. Benedictum non bene dicta laude colamus. sed ad quæstionẽ.

Rem agis hanc vnam integro libro tuo, Sectionibus decem & septem distincto, vt assertam a Baronio sententiam in Annalibus, de sancti Gregorij monachatu sub sancti Equitij professoribus, non autem sub sancti Benedicti discipulis, multipliciter impugnare possis. Mei vero hæc est ratio instituti, non vt cuncta in illis errata redarguam (parum amici id esset animi, remq. odio magis agentis, quam Christianæ charitate, veritatis amore, tractantis) sed illa tantum conuellam, quæ a te allata, ad hanc, de qua agimus, causam spectare noscuntur; idq. quam

b 1.Cor.16. breuissime potero, memor in primis monentis Apostoli: Omnia[b] vestra in charitate fiant.]

Habes autem in prima tua Sectione ista: In Ecclesia pro certo semper est habitum, traditumq. omnium consensu, sanctum Gregorium Benedictinum monachum extitisse.] secunda vero Sectione adijcis ista: Verum tempestate hac nostra Illustrissimus Cardinalis Cæsar Baronius nouam in suis Annalibus inuexit opinionem de monastica sancti Gregorij professione: monachum illum quidem fuisse non negat, nequaquam tamen sancti Benedicti patris nostri, sed sancti Equitij disciplina, præceptisq. informatum, &c.]

Miror valde, quod in his astruendis Ecclesiæ in primis traditionis vendicas tibi nomen. quid traditio, nisi quod ab omnibus vbique & semper factum liquet? quid in huiusmodi ab omnibus vbique & semper traditum ostendere poteris, vt non prorsus inane nomen traditionis vsurpasse intelligaris? quid nouitatem impingis ei, qui ex ipsis Gregorianis purissimis fontibus totum deducit quod asserit? Quid hoc antiquius excogitari potest? Quidve fortius atque solidius? Hac enim ex parte tibi laudandus plurimum fuisset ipse Baronius, vtpote quod sit

c Matt.13. imitatus illum, qui commendatur sententia Domini,[c] Scribam doctum, qui profert de thesauro suo noua & vetera: Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Habet nouitas illa crimen, vel criminis suspicionem non vitat, quæ a nulla deducitur antiquitate. Laudanda vero & amplectenda, fouenda atque arctius retinenda, si a vetustatis fonte deriuata intelligatur, quæ non nouitas adinuenta, sed antiquitas restituta sit potius appellanda. Proscribenda igitur Ioannis diaconi primi vestræ sententiæ auctoris assertio, quæ nullas habeat ab antiquitate traduces: retinenda Baronij, in quã copiose originarij fontes influant antiquitatis.

Stat eodem auctore Gregorio, dispar & distincta sancti Benedicti successorum

cessorum Abbatum series ab ea, qua recensetur prædecessorum Abbatũ sancti Gregorij ipsius verbis deducta successio, diuersis prorsus discreta limitibus, diuersitate nominum, locorum, & personarum, ab ipso Baronio Septimo [a] Annalium tomo recensita. stat pariter stabilitum firmiter ab ipso in Appendice ad Nonum [b] tomum, tam Equitium, quam successores eius Abbates ita distinctos a monachis Benedictinis fuisse, vt nulla ratione sub ijsdem censeri valeant. stat insuper [c] triplici assertione ipsiusmet sancti Gregorij demonstratum, & absque controuersia definitum, ipsum non sub aliquo successorum sancti Benedicti Abbatum, sed sub Valentio (siue Valentionem, aut Valentinum dicere malis) monasticam vitam esse professum. Hunc siquidem vnum, nec præter hunc aliũ vllum Abbatem suum nominat, de quo & vltimo dialogorum libro sic loquitur: [d] Vitæ namque venerabilis Valentius, qui post in hac Romana Vrbe mihi, sicut nosti, meo quoque monasterio præfuit, prius in Valeria prouincia suum monasterium rexit.] monachos vero prouinciæ Valeriç S. Equitij fuisse propaginem, eiusdẽ sancti [e] Gregorij attestatione idẽ Baronius docuit. Sunt istæ quidem Baronij, immo ipsius S. Gregorij assertiones, hæc iacta antiquissima fundamenta, quibus nihil possit hac in re antiquius inueniri. quæ tu vide quomodo nomines nouitatem, cum ex antiquis per decursa trium sæculorum curricula vsque ad Ioannem diaconum primum nouatorem nemo repertus sit, qui adeo bene locata fundamenta reuellere auderet, vel minimum quid mutire aduersus adeo canam venerandamq. antiquitatem, non Isidorus, non Ildephonsus, vel Beda, Paulusve diaconus, qui res gestas S. Gregorij ante Ioannem diaconum conscripsere: quos vestros fuisse monachos, cum dicatis, haud dubium quin omnes id summo certe præconio promulgassent quod dicitis, si veraciter asserere potuissent. Fuit vnus & primus Ioannes diaconus, qui ita ab antiquitate resilijt.

[a] Annal. to. 7. an. Dom. 581. prop. fin.
[b] in fin. pag. 882. edit. Ro.
[c] Greg. dial. lib. 1. c. 4 lib. 3 c. 22. lib. 4. c 21.
[d] Id. dial. lib. 4. c 21.
[e] Id. dial lib. 1 c. 4.

Sed videamus an tu aliquid ingeras, quo loquentem Gregorium arguas, & silentes tot Patres negligetiæ homine merito reprehendas. persequar tua vestigia, quæ Sectionibus singulis fixa relinquis. Confutata igitur in prima, & secunda Sectione de nouitate calumnia, conuertimus stylum ad tertiam Sectionem, qua conaris alterum de duobus efficere, vt nimirum vel redigas sanctum Equitium cum successoribus suis sub Regulam sancti Benedicti, atque hac saltem via ipsum Gregorium etiam eiusdem Regulæ professorem constituas; vel si hoc non possis consequi, eo te cõuertas, vt veluti iurato quodammodo bello, omnia ipsius Equitij destruas monasteria, quo eius intercepta successione, Gregorium sic cogas sub Benedicto monachatũ profiteri. Vt primũ illud obtineas, probare studes, sanctum Benedictum antiquiorem fuisse sancto Equitio, vt ex hoc inducas, Equitium Benedicti fuisse propaginem: aisq. S. Benedictum anno salutis quadringentesimo nonagesimoquarto petijsse loca deserta; inde ex Sublacensi monasterio petijsse Cassinum, anno quingentesimo vigesimotertio: vixisse vero sanctum Benedictum vsque ad annum Redemptoris quingentesimum quadragesimumsecũdum vel tertium.

tium. Aetate igitur sancti Benedicti sic definita, ad Equitium te conuertens, ipsum dicis post sanctũ Benedictum claruisse, atque ipsius pene Gregorij Papæ tempora attigisse, idq. probare niteris in primis auctoritate domestici testis adhuc viuentis Arnoldi Belgæ, monachi Cassinatis, tibi (vt profiteris) amicitia coniunctissimi. Ita quidem testium laborans inopia, rem antiquissimam recentissimo teste, quod alium non inuenias, probare nisus; taliq. teste te, quod dicendum erit inferius, causa cadere sentiens, totus nutabundus, male securus, eo demum te conuertis, vt ex scriptis sancti Gregorij quocumque modo id coneris elicere hoc genere argumenti:

a Greg. dial. lib. 1. c. 4. in fine.

Cum testetur, inquis, sanctus Gregorius, [a] de Equitio scribens, ea se accepisse a Fortunato Abbate, qui eidem Equitio fuerat familiaritate coniunctus: consequitur, quod sanctus Equitius fuerit sancto Gregorio proximus.] sed non plane sequitur, quod sancto Benedicto fuerit ætate posterior. Siquidem potuit sanctus Equitius ante sanctum Benedictum esse natus, anteq. ipsum collegisse monachos, & post sanctum Benedictum, quem dicis annos natum sexagintaquinque mortuum esse, superstes adhuc plures vixisse annos, atque ad ætatem decrepitam peruenisse, vt sic post sanctum Benedictum viuens decesserit tamen senior ipso. Sicut accidisse scimus Cassiodoro, qui, antequam discessisset ab Vrbe S. Benedictus puer, ipse gerebat sub Theodorico amplissimos magistratus, & post obitum eiusdem sancti Benedicti annis decem & octo superstes erat, anno Redemptoris quingentesimo sexagesimosecundo, agens annum suæ ætatis nonagesimumtertium, vt ex eiusdem ipsius scriptis Baronius facile colligit in [b] Annalibus. Vide quã leuis illa argumentatio cedat. sed leuior alia quam subijcis, dum probare itidem nisus, sanctum Benedictum sancto Equitio antiquiorem, in hunc modum argumentaris: Quæ scripsit de sancto Benedicto Gregorius, fatetur se accepisse a quatuor sancti Benedicti discipulis, eisdemq. in præfectura monasterij successoribus, siue Cassini, siue Romæ, siue Sublaci vt Honorato. Ex quo possumus, inquis, iure inferre, Benedictum egregium monachorum legislatorem sancto Equitio fuisse ætate superiorẽ,] eo quod, quæ de sancto Equitio Gregorius scripsit, ab vno tãtum Fortunato Abbate Equitij familiari se accepisse testetur. Hæc tu cum dicis, iam non ex ætate, sed ex maiore numero testium sanctum Benedictum Equitio antiquiorem ostendis. At cum quatuor illi omnes æque sancti Benedicti fuisse discipuli asserantur, ac simul æquales, licet sibi inuicem successisse dicantur Abbates, nihilo magis, quam vnus, sicut nec vnus minus quam centum, adijcere vel detrahere possunt eius ætati, quo illum vel seniorem, vel iuniorem ostendant; cum præsertim tua quoque sententia certus sit annus, quo sanctus Benedictus obierit, nempe (vt astruis) Redemptoris quingentesimus quadragesimussecundus vel tertius: vt vsque ad tempus, quo scribebat illa Gregorius, anno scilicet quarto (vt ipse testatur) sui Pontificatus, qui est annus Domini quingentesimus nonagesimustertius, quinquaginta anni numerentur ab obitu, inquam, sancti

b Annal tom. 7. ann. 556. & 562.

ſancti Benedicti, vſque ad eam dialogorum ſcriptionem, per quos quatuor Abbates illi, omnes æque diſcipuli & filij eiuſdem Patris, poſt eius tranſitum ipſi ſucceſſiſſe dicantur, omnes æque teſtes rerum geſtarum ſancti Benedicti: a quibus Gregorius accepit, quæ de ipſo ſancto Patre conſcripſit. ſed quid porro ex his inferas, tuis verbis audiamus: ſic enim ſcribis: Sanctus Equitius igitur ex his, quæ dicta ſunt, cognoſcitur quod non niſi ætatem hominis vnius Gregorium anteceſſit: contra ſanctus Benedictus ætates fere duorum vel trium hominum præceſſit Gregorium.] Quid ergo? ſi aſſeris S. Benedictum diē obijſſe anno quingenteſimo quadrageſimoſecundo vel tertio, Gregorium vero (quod & tu fateris) anno quarto Pontificatus ſcripſiſſe dialogos, qui eſt annus Domini quingenteſimus nonageſimustertius, quonam pacto infers, duas vel tres hominum ætates ſanctum Benedictum anteceſſiſſe Gregorio? quanam quæſo annorum periodo vnius hominis claudis ætatem? num annorum ſpatio vigintiquinque, vel etiam minori, cum inferius quoque aſſeueres, tribus hominum ætatibus ſanctum Gregorium S. Benedicto fuiſſe poſteriorem? numerum ita deducens: Gordianus proauus ſancti Gregorij vixit temporibus ſancti Benedicti, eiq. multa donauit: cui ſucceſſit Gregorius auus, quem ſecutus eſt Gordianus minor pater S. Gregorij. Sed de auo & proauo ſancti Gregorij quam ſint commenticia quæ affers, inferius dicturi ſumus; cum tamen etſi vera eſſent, tibi non proſint, dum ſpacio ſexaginta annorum proaui, aui, & patris claudis omnia ſimul tempora vſque ad Gregorium Papam.

Ad poſtremum autē ex deductis abs te hanc ſtringis concluſionem: Si Benedictus eſt Equitio antiquior, non potuit iſte, eremum illo petente, monachos congregaſſe.] ſic ipſe concludēs, nihil prorſus ſtringis. Etenim non dicit, quod tu ais, S. Gregorius, Equitium congregaſſe monachos, ſed multorum monaſteriorum extitiſſe patrem. adeo vt minime ſint inter ſe pugnantia dicere, S. Benedictum ante S. Equitium eremum petijſſe, & Equitium ante ſanctum Benedictum multorum ſimul monaſteriorum ab alijs erectorum Abbatem electum. Accidere enim interdum poteſt, vt iunior eligatur Abbas, prætermiſſis monachis ætate grandæuis. at quid fruſtra laboras vt demonſtres, ſanctum Benedictum antiquiorem eſſe Equitio? Concedamus, miſerationis ergo, quod probare non potes, eo quod nec verum ſit; demuſq. Equitium Benedicto ætate poſteriorem, quid inde lucraberis, vt aſſeras, quod conaris, ſanctum Gregorium fuiſſe monachum ex Regula ſancti Benedicti & non Equitij? nihil penitus. non enim ex eo, quod Equitius fuerit ætate iunior Benedicto, huius illum Regulæ mox conſtitues profeſſorem. Nam (vt dicetur inferius) diuerſorum ordinum erant eo tempore monachi, diuerſiſq. Regulis inſtituti: inter quos Equitius, ſucceſſoreſq. ipſius Abbates magna famæ exiſtimatione florebant.

Ceterum de tempore, quo ſanctus vixit Equitius, Arnoldo tuo in obſcuro laboranti, ex Caſſiodoro comparata lucerna libenter occurrimus, eademq. ex Annalium [a] promptuario deprompta, vbi agitur de

[a] Annal. to. 6. ann. Domi. 504.

L Valen-

Valentino Episcopo Amiterni sub Theodorico Italiæ Rege, sub quo etiã claruisse reperitur Equitius. nam audi, dum sanctus Gregorius de sancto Equitio scribit, de Basilio mago hæc habet: [a] Hic in magicis operibus primus fuit, in monachico habitu ab Vrbe fugiens Valeriam petijt.] & inferius ipsum ab Equitio prophetico spiritu probe cognitum, expulsumq. e monasterio fuisse subdit. ex hoc ergo Basilio tempus, quo vixit sanctus Equitius, facile poterimus intelligere. Quis enim fuerit ille Basilius, ex duabus Cassiodori epistolis satis reperitur expressum: In epistola quidem Theodorici Regis nomine ad Argolicum Præfectum Vrbis conscripta Cassiodorus hæc habet: [b] Magnitudinis tuæ relatione comperimus, Basilium atque Prætextatum artis sinistræ iamdiu contagione pollutos in accusationem tui examinis personarum intentione deductos. Super qua re te asseris nostram expectare sententiam, vt confidentius fiat, quod pietatis nostræ mandat auctoritas &c.] Subijcit autẽ inferius a se constitui Quinqueuirale Senatorum Patriciorum iudiciũ, a quo maximi ponderis causa ipsorum magorũ tractetur. Alia vero [c] epistola hanc sequente scribit idem Cassiodorus nomine eiusdẽ Theodorici Regis ad Arigernum Comitem, vt eosdẽ magos iudicio Quinqueuirali conuictos, sed fuga lapsos inquirat. in qua epistola hæc inter alia: Præfectus Vrbis sua nobis relatione declarauit, Basilium atque Prætextatum magicis artibus inuolutos impeti accusatione multorum; quos elapsos insinuat mentis alienatione custodum. Eos te præcipimus vbicumque repertos ad iudicium Quinqueuirale ducere &c.]

Sic igitur ex nomine, loco, crimine, & in crimine excellentia personæ delinquentis, atque fuga, quinque notis hisce amplissimis eumdẽ esse Basiliũ, de quo Gregorius in dialogis, & Cassiodorus in epistolis scribit, nemo iure poterit dubitare: nimirũ quod ambo Basiliũ nominent, Romæq. deliquisse consentiant, magicis intendentẽ artibus tradant, & inter magos eidem principem locum tribuant; quodq. captum cum alijs magis, atque fuga pariter lapsum asseuerent. Ex quibus probe inferri possit, S. Equitium tunc claruisse, monasteriorum in Valeria iam Abbatem agentem, cum Theodorico Rege Italiæ Romæ regnante, Argolicus, ad quem datæ extant litteræ, præfecturam Vrbanam administraret. Quod certum tempus, Dei beneficio, qui voluit adeo antiqua monimenta illibata conseruari, in promptu est demonstrare. Siquidem ex eiusdem Theodorici Regis [d] epistola reddimur certiores, Argolicum creatum ab eodem Rege Vrbis Præfectum per Indictionem quartam; per tertiam vero Indictionem ante ipsum creatum Præfectum Vrbanum Artemidorũ, [e] idem Cassiodorus habet. erat præfectura annuus magistratus. Porro ex certa Indictione notata annus pariter Redemptoris, quo famosum illud magorum iudicium Romæ contigerit, tota luce redditur exploratus.

Sed quoto Redemptoris anno, quarta Indictio sub Rege Theodorico primum inciderit, hoc videndum. Marcellinus Comes suorum temporum res gestas scribens, iungensq. Consulatibus Indictiones, sub Consulatu Pauli solius quartam numerat Indictionem: est is annus Theodori-

ci

[a] Greg. dial. lib. 1. c. 4.

[b] Cassiodor. Var. lib. 4. ep. 22.

[c] Id. Var. lib. 4. ep. 23.

[d] Cass. Var. lib. 3. ep. 11.

[e] Id. lib. 1. ep. 42. 43.

ci quartus, Christi autem quadringentesimus nonagesimussextus, quo tempore ex tua sententia sanctus Benedictus annum secundum agebat in specu, nondum alicui præterquam Romano monacho cognitus, vt sanctus Gregorius tradit,[a] qui triennium eius commorationis in specu ponit (vt ex eodem Gregorio audisti) cum iam Equitius non solum multorum pater esset monachorum, sed etiam monasteriorum Abbas.

a Greg. dial. lib. 2. c. 1.

At ne te cauillis inuoluam, sed sine fuco & fallacijs sincere in omnibus agam, nullo modo ista referri volumus ad quartũ annũ superioris Indictionis, sed sequentis; affirmamusq. (quod sic suadeat Cassiodori series epistolarum) ad insequẽtem Indictionũ periodum sub eodẽ Theodorico Rege præfecturam Vrbanam Argolici referẽdam. contigisse autem tunc dictã quartam Indictionem sub Consulatu Secundini atque Felicis, idem Marcellinus affirmat. est is annus Redemptoris quingẽtesimus vndecimus, quo tempore sanctus Benedictus (vt ex eodẽ S. Gregorio apparet) monachos colligere incipiebat, cum iam sanctus Equitius (vt dictum est) multorum esset monasteriorum pater: sicq. etiam sancto Benedicto antiquiorem Equitium in monasticis institutis iure possimus affirmare. quantum autem temporis Equitius vixerit, ignoratur. Ceterum longã vixisse ætatem inde possumus intelligere, quod Fortunatus Abbas, qui de illo retulit sancto Gregorio cuncta quæ scripsit, fuerat ipsi Equitio familiaritate coniunctus, cum tamen esset idem, quando ista sancto Gregorio enarrabat, iam ætate grandæuus. nam de ipso sic aliquando Gregorius:[b] Crebro ad me nunc vsque veniens, dum facta mihi veterũ narrat, noua refectione me satiat.] & superius:[c] Etiam quæ subiungo, prædicti venerabilis viri Fortunati, qui valde mihi ætate, opere, & simplicitate placet, narratione cognoui.] Ex his igitur vide, quam frustra labores, vt sub S. Benedicto S. Equitium statuas, eiusq. discipulos eidem sancto Benedicto coniungas, atque cum eis sanctum quoque Gregorium alliges. nam quo tẽpore incipiebat iste, iam consummauerat ille.

b Id. dial. lib. 1. c. 10.
c Id. dial. lib. 1. c. 4.

Sed ad quartam tuam Sectionem transeamus, si quid fortasse abs te fortius dictum inuenire poterimus. Qui igitur sanctum Equitium cum suis monachis sub S. Benedicti Regulã redigere tertia Sectione (vt vidimus) laborasti; hac Sectione quarta id eniteris, vt stylo tuo, quasi potenti ariete omnia simul euertas ac destruas solo tenus sancti Equitij monasteria. at quomodo istud, Lector, attende. Dum enim interpretem agit verborum sancti Gregorij, quibus dixerat[d], Equitium pro suæ magnitudine sanctitatis multorum in ea prouincia monasteriorum patrem extitisse, sic ratiocinatur: Cum vero, inquit, vt re ipsa constat, ad hodiernam vsque diem neque ope scriptorum, neque hominum memoria ac conditione, præter locum, in quo celebris est sancti Equitij recordatio, vlla reperiantur monasteriorum, eiusq. viuendi Regulæ vestigia: facile crediderim, vitam egisse Equitium cum suis discipulis anachoreticam. Illud coniecturam nostram iuuat, quod monasterium iuxta nominis etymologiam vnius etiam monachi habitationem significare potest. μόνος enim Græce, Latine vnus, vel singularis, vnde monachus ἀπὸ τοῦ μονάζειν,

d Ibidem.

quod est in solitudine, & quasi singularem viuere. Monasterium itaque, quod Graece μοναστήριον, Latine solitudo, est vnius monachi singularis habitatio. Idemq. confirmat vulgata illa quorumdam antiquorum etymologia, quæ monasterium deducit a mona, quod est vnus, & sterium, quod est statio, ac si dicatur, solitarij habitatio.] & paulo post: Multorũ ergo monasteriorum pater in prouincia Valeria erat Equitius, id est multorum monachorũ singulariter viuentium in singulis cellis, quarum vna ab alia haud multum distaret.] hæc ipse. Ex quibus verum esse, Lector, intelligis, quod diximus, ipsum stylo suo, velut ariete omnia S. Equitij monasteria conatum euertere, atque singula in singulas cellas redigere.

At vnde eiusmodi verborum sancti Gregorij interpretatio deducenda? quæ etsi aliquando ab aliquo vsurpata fuisset (quod nemo vmquam inueniret) ad ipsum tamen sanctum Gregorium, cuius ea sunt verba, oculorum acies conuertenda esset, si vmquam forte eam vocem tali sensu accipere consueuisset, vt suorum verborum ipse auctor esset interpres. sed certe quidem nusquam a sancto Gregorio in hunc sensum vsurpatam poterit inueniri. At frustra & illud ais, tot monasteriorum abolitam esse memoriam: quasi nouum id videri possit, cum barbarorum adeo frequentes in Italiam eruptiones fuerint, vt admirationi potius esse debeat, quod vel vnius monasterij integra memoria manserit post tanta & toties repetita naufragia totius Italiæ, & maximarum quoque ciuitatum excidia.

His subijcis immensas laudes sanctissimi Benedicti; qui licet numquã satis laudari possit, tamen quæ ipsi conuenire nõ possunt, procul abest, vt ipse recipiat, quin potius execretur, vt oblatum sacrificiũ de rapina. sunt hæc verba tua: Quod vero Benedictus monastici ordinis auctor nõ Italiæ modo, sed totius Christianæ Reipublicæ bono natus erat &c.] & inferius: Summi itaque & sanctissimi Pontifices illum prædicauerunt monachorum præceptorem almificum, monachorum omnium patrem, monasticæ legis latorem, & operatorẽ, & sacræ religionis monachalis venerandũ auctorem.] hæc tu cũ affers, nimis effers: indigent encomia fræno, ne nimia laudandi cupidine attexantur veris etiã mendacia, vt visus mihi es modo fecisse, dum diceres, S. Benedictũ monastici ordinis auctorẽ; dicere potius debuisses, Benedictini ordinis, seu Benedictinæ religionis auctorem. Nam quomodo verũ esse potest, ipsum simpliciter dici monasticæ religionis auctorem, cum negare non possis, antequam vel ipse nasceretur, non Orientalem tantum Ecclesiam, sed Occidentalem etiam monachis diuersorum ordinum abũdasse? Et vt dicere de reliquis prouincijs omittamus, quis ex Aegypto primum in Vrbem inuexerit germina monasticæ vitis, sanctus Hieronymus [a] te docebit: fuisse nimirum magnum Athanasium, & Petrum, vtrumque Patriarcham Alexandrinũ. & quantum eadem fecunda germina fuerint propagata, extenderintq. vsque ad mare propagines suas, eumdem audi, dum S. Fabiolæ effusas eleemosynas prædicat: [b] Quod monasterium, inquit, non illius opibus est sustentatum?] & paulo post: Peragrabat ergo insulas, & totum

[a] Hieron. ep. 16.

[b] Id. ep. 30.

Hetruſ-

Hetruscum mare, Volscorumq. prouinciam, & reconditos curuorum litorum sinus, in quibus monachorum consistunt chori, vel proprio corpore, vel transmissa per varios Sanctos & Fideles munificentia circumibat.] hæc ex Aegypto germina monachorum, cum alia ex Cappadocia, sancto Basilio auctore, longe ante sanctum Benedictum, non Italiam solum, sed vniuersam Occidentalem Ecclesiam impleuerint, vsque ad diuisos etiam toto orbe Britannos. Vides quam patens mendacium sit, asserere monasticæ religionis sanctissimum Benedictum auctorem? vt aduersus ista adeo toto cælo patentia nullus testis possit admitti.

Sed prosequamur reliqua, quibus argumentum mutans, exagitas iterum sanctum Equitium, eumq. suis rursum niteris priuare monasterijs, asserens multa illa eius monasteria, quibus præfuisse ipsum Abbatem sanctus Gregorius [a] tradit, non alia fuisse, quam illa duodecim a sancto Benedicto apud Sublacum erecta. His vna satis superq. possit esse responsio; nimirum auctoritate ipsius sancti Gregorij luce clarius demonstrari, fuisse omnino diuersa, cum dicat, a sancto Benedicto [b] singulis monasterijs singulos monachos fuisse præfectos: at de sancto Equitio verba faciens, ipsum vnum multis fuisse præpositum monasterijs Abbatem affirmat, nec ipsum fuisse sub aliquo constitutum: vt plane ostendat luce clarissima, distinctas ab inuicem fuisse collectiones monachorum Equitij & Benedicti; Equitij vero (vt est demonstratum) antiquiorem, declarat hoc ipsum & locorum diuersitas. Nam eodem teste sancto Gregorio, duodecim illa sancti Benedicti monasteria circumquaque (vt [c] ait) constructa erant; hæc autem Equitij apud Amiternum fuisse cum idem sanctus Gregorius docet, tum vetera, quæ nunc eodem in loco extant monimenta, quæ & tu ipse non negas, ostendunt.

a Greg. dial. lib. 1. c. 2.

b Id. dial. li. 2. c. 3.

c Id. ibid. c. 4.

Rursum vero de duodecim illis monasterijs Sublacensibus ex eodem S. Gregorio, qui ipsorum primus meminit, illud considerandum, non ipsum dicere, singulis ipsis monasterijs singulos fuisse præfectos Abbates, quod scilicet locorum tenuitas, & paucitas monachorum in ipsis degentium id minime ferret, sed simpliciter monachos dixit, [d] quos inferius nominat Præpositos, cum de eius inde discessione agens, hæc ait: Inuidiæ locum dedit, atque Oratoria, & cuncta, quæ construxerat, substitutis Præpositis, adiunctis Fratribus, ordinauit, &c.] Porro Præpositos minores Abbatibus fuisse, vt qui eisdem subiecti essent, idem Gregorius sæpe docet, & S. Benedictus in Regula, quam postea scripsit, significauit. Hinc etiam est, quod Sublacense ipsum monasterium ab eodem S. Gregorio non Abbatia nominatur, sed Cella, vt quæ Abbatiæ subiecta esse soleret. Nam de Honorato agens Sublacensis monasterij præfecto, hæc ait: [e] Honorato etiam, qui nunc adhuc Cellæ eius, in qua S. Benedictus videlicet conuersatus fuerat, præest.] hæc Gregorius. Quibus intelligas, nondum adhuc tempore S. Gregorij illa omnia monasteria Sublacensia eiusmodi fuisse, vt illis Abbates præfici possent, sed Præpositi tantum, minores Abbatibus. Cum igitur S. Equitius non Præpositus, sed Abbas in prouincia Valeria multa monasteria, non

d Id. dial. lib. 1. c. 8.

e Id. lib. 3. dial. in præf.

Cellam

Cellam rexisse dicatur: plane conuincitur ex hoc etiam, ipsum esse non potuisse vni ex illis Sublacensibus cellis præfectum, quod tu affirmare frustra laboras. Etenim cum idem S. Equitius a S. Gregorio pater multorum monasteriorum fuisse asseratur, ipsum fuisse Abbatem, est necessarium affirmare.

Quod vero subijcis etiã Sublacum oppidũ fuisse in Valeria prouincia positum: Paulum diaconũ vestrum monachum Cassinatem legisse oportuerat, qui secundum eius temporis vsum vniuersam Italiam diuidens in prouincias quindecim, cum de Valeria agit, hæc habet. [a] Tertiadecima prouincia Valeria, cui est Nursia annexa, inter Vmbriam, & Picenum, & Campaniam consistit.] subdensq. fines eius ab Occidente, vbi & ipsa Valeria via ducit principium: Habet, inquit, vrbes Tiburim, Carseolim, Reate, Furconium, & Amiternum, regionemq. Marsorum, & eorum lacum, qui Fucinus appellatur.] sicq. Sublacus ab ipso ferme exordio Valeriæ viæ extra ipsam a dextris relinquitur, posita in ea parte, quæ secundum eiusdem recentiorem descriptionem Campania appellatur, sub qua etiam censetur hodie. Remaneant igitur sua sancto Equitio monasteria, & ab eis distincta sancto Benedicto sua, quem tu inuitum cogis, [b] vt perdicem, oua fouere non sua.

a Paul. diac. de gest. Long. lib. 2. c. 20.

b Ierem. 17

Sed ad quintam Sectionem tuã veniamus, qua hoc tu astruis paradoxum, vt dicas, ante sanctum Benedictum in Italia monachos vixisse Regularum expertes. quod primum hac probare niteris ratione: Si qui, inquis, eo sæculo in Italia (de hac enim loquimur) certis scriptisq. legibus militassent, huius rei vestigium aliquod superfuisset.] at hoc ipsum inferius facile confutabitur. Deinde probas exemplo, [c] sanctum Gregorium testem adducens, qui de sancto Honorato, patre ducentorum monachorum affirmet, ipsum a Deo edoctum, nullo vsum esse magistro. At non addit sanctus Gregorius, ipsum suos ducentos monachos absque Regulis, solo vitæ exemplo instituisse, qui tota illa disceptatione cum Petro diacono hoc agit vnum, vt ostendat interdum accidere, vt aliquis absque magistro instituatur a Deo, quod tamen in exemplum non esse trahendum affirmat. Honorato istud accidisse, vt cum ruri semper vitam egerit, adscripticij coloni filius, absque magistro a Deo bene fuerit institutus: quod ipsum sanctus Gregorius de sancto Benedicto pariter docet, a Deo scilicet doctũ atque pariter institutum. Sed tamen cum Abbas præfectus est monachis, ipsum eos ad omnes numeros vitæ regularis reuocasse, antequam ipse Regulas suas scripsisset, testatur idem Gregorius, dum de illis agit qui ipso exordio eius se gubernationi commisere: [d] Cum in eodem, inquit, monasterio regularis vitę custodiam teneret, &c.] Quid enim per regularem vitam intelligit, nisi ex Regularum præscripto vitam bene compositam? Sed idem ipse sanctus Gregorius ibidem de Romano quoque monacho ait, eum sub Regula Theodati Abbatis vixisse. Sic igitur, qui regulariter suos gubernabat sanctus Benedictus, antequam suas scriberet, alienis Regulis iam antea promulgatis vt eos instituerit necesse est. quas cum tibi incognitas

c Greg. dial. lib. 1. c. 3.

d Id. lib. 2. c. 3.

gnitas dicis, nec earum inueniri vestigium existimes, negas (quam prudenter, tu videris) vllas vmquam fuisse. Verum non cernis antiquarum Regularum vestigia in ipso, de quo agitur, sancto Benedicto satis expressa, dum regulari disciplina (vt testatur in loco citato sanctus Gregorius) illos gubernaret monachos, qui eum sibi constituissent Abbatem. At quænam illæ Regulæ fuerint, cum suas nondum ipse scripsisset, tibi quærendum erat, & non negandum quod essent. sed & quænam eæ fuerint, ab ipso sancto Benedicto intelligere potuisses. Nam qui recens suas condidit Regulas, noluit antiquas abolitas, sed ob oculos suorum discipulorum semper voluit ipsas versari. Etenim de his ita cauit sua Regula numero septuagesimatertia: Collationes Patrum, & instituta, & vitæ illorum, & Regulæ sancti Patris nostri Basilij quid aliud sunt, nisi bene viuentium & obedientium monachorum exempla, & instrumenta virtutum?] Hæc ipse vere sanctissimus, sicut & gratissimus, dum, per quem profecerit, non occultans, sanctum patrém nostrum Basilium nominat, vt ostendat, quemnam in suis instituendis monachis fuerat magistrum secutus, & quibus, antequam Regulas suas scriberet, ipse vixerit, & suos monachos erudierit.

At nõ ita tu, Frater, qui vbi de Regulis S. Basilij a Rufino Latinitati donatis, quas adeo S. Benedictus commẽdat, agis, hanc perperã abs te confictam interpretationẽ apponis: Verũ hæc, inquis, nullum nobis facessunt negotium: Rufinus enim Basilij Regulam Latine reddidit, nequaquam ad instituendos Occidẽtis ordines, vitamq. monasticam excolendam; sed vt spiritale opus, quod ad cuiusque spiritus profectum maxime conduceret.] hæc ipse. Qui eadem dicturus eras de Regula sancti Pachomij diuinitus accepta, quam S. Hieronymus æque in Latinum sermonem trãstulit. Tu vero neutram vis apud Occidentales in vsum acceptam, vt frustra hac in re primas deferas Benedicto, qui malis tot monasteria totius Occidentalis orbis sine Regulis vixisse, quam ante Benedictum Regulas ab aliquo accepisse. At quis (rogo te) tam amens inueniri poterit, qui collecturus monachos, & monasterium erecturus, non prius cogitarit, quibus illi essent Regulis instituendi, & sub quo ordinis titulo cœnobium statuendũ? cũ præsertim diuersi generis extarent in Italiã allatæ Regulæ magni nominis virorũ, nempe Basilij, atque Pachomij, Cassiani, Eugipijque. Et tibi placet sine scriptis Regulis tot agmina monachorum vixisse, antequã suas ederet Benedictus? amẽtibus ista suade. Nos autem libere affirmamus, non sine Regulis scriptis tot monasteria in Occidentali Ecclesia militasse: immo non hoc tantum dicimus, sed & amplius affirmamus, eumdem ipsum sanctum Benedictum primum quidem alienis Regulis, nempe sancti Basilij (cum eum communem patrem appellat) se, suosq. monachos instituisse: cum tamen non negemus, eas illum ipso vsu ad suum institutum paulatim accommodasse, & experientia conuertisse, non tamen, illis reiectis, suas scriptas Regulas obseruandas promulgasse.

Ista vt demonstremus, primum de tempore, quo vir sanctus suas Regulas

gulas scripsit, dicendum erit. Communiori vestrorum sententia (vt tu etiam asseris) receptum est, non, antequam Cassinum peteret, id egisse. Modo rogo te, quibus Regulis duodecim a se constructa monasteria sub præfectis totidem rexit, vel regenda reliquit? vel quibus Cassinensem Collectionem moderatus est, prius quam Regulas scriberet? Plane non alias, quam sancti Basilij delegisse seruandas, eius conuicti testimonio, fateri debemus, dum sanctum Basilium suum suorumq. communem patrem appellat.

Sed non solum sub monachatus sui primordia, atque media, sed ad postrema vsque ipsa, & obitum, sanctum Benedictum ijsdem Regulis suos monachos informasse, vestrorum patrum assertionibus (quod absque eorum testificatione dicere non ausi essemus) cogimur profiteri. Siquidem Petrus diaconus Cassinensis, magnæ apud omnes auctoritatis vir, vtpote qui Chartularius, & Bibliothecarius cœnobij Cassinensis cum esset, quæcumque extabant antiquitatis monimenta, ex penetralibus vendicauit in lucem, dum pertexit catalogum virorum illustrium eiusdem monasterij, hæc de sancto Benedicto in primis habet; Scripsit autem iam senex in eodem cœnobio Cassinensi monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam.] & eodem libro capite quinto hæc addit. Simplicius sanctissimi Benedicti discipulus, Regulam, quam suus magister condiderat, publice legendam omnibus monachis tradidit.] hæc ipse. Scimus alicubi vitio Scriptoris legi: Quam suus magister ediderat.] sed repugnat lectio illa sequentibus. Nam si iam eam S. Benedictus ediderat, quid opus fuit vt Simplicius eam legendam omnibus traderet, quæ iam cunctis editione facta per Benedictum innotuisset? At quænam sit germana lectio, doceat vos vester monachus Sigebertus, suorum scriptorum multiplicium fama notissimus, qui in libro, quem scripsit de illustribus Scriptoribus ecclesiasticis capite trigesimoprimo, hæc de sancto Benedicto: Prouectus ad summum culmen monasticæ perfectionis, secundum quam vixit, scripsit Regulam monachorum, sermone luculentam, discretione præcipuam: Simplicius discipulus eius latens magistri opus publicauit.] hæc Sigebertus: cuius verbis, dum ait, secundum quam vixit, scripsit Regulam,] possumus intelligere præcessisse (vt diximus) experimentum, inde vero subsecutam scriptionem, nempe vt S. Basilij Regulas ipso vsu ad suum institutum paulatim inflexerit, senex demum scriptis suas mandarit, nō tamen viuens (vt audisti) promulgarit, sed potius occultarit: quæ tandem publicatæ sunt a Simplicio, qui (vt de eo testatur sanctus [a] Gregorius) tertius non Cassinensis, (vtputant) sed Lateranensis Abbas Benedictinos monachos gubernauit, Qui perspicue satis in præfatione Regulæ sancti Benedicti præposita tradit, latens hactenus magistri opus se publicasse, Regulas scilicet ipsius, de quibus tunc sermo, vt de his esse dubitatio nulla possit, a quo tum Petrus diaconus, tum Sigebertus eadem, quæ de his scripsere, accepisse sciantur. Ex quibus non solum Petri diaconi germanam habes lectionem, sed perspicue declaratum, absque scriptis a sancto Benedicto Re-

[a] Greg. dial. lib. 2. in præf.

gulis

gulis, non solum ipso Benedicto viuente, sed & post mortem eius vsque ad dictum Abbatem Simplicium Benedictinos monachos in Italia gubernatos. Istud quidem non ignominiæ sanctissimo viro cedit, vt alienis potius quam suis se suosq. monachos scriptis Regulis instituerit, sed summæ gloriæ, idq. multipliciter. Ac primum quidem vitabat illud, quod Dominus dixit in Euangelio: [a] Qui ex proprijs loquitur, mendax est,] atque insuper illud: [b] Nolite plures magistri fieri.] Itaque cauens vtrumque scopulum, Basilium patrem suum atque suorum elegit, & hoc nomine (vt audisti) summopere gloriatus, eum vt communem patrem etiam post scriptas a se Regulas suis colendum proposuit: vt sicut sanctus Hieronymus sancto Gregorio Nazianzeno, ita Basilio Benedictus magistro se vsum esse prædicarit. Dignus pariter & eo nomine plurima laude, quod non ante ad suas Regulas scribendas addixit animum, quam vsu & experientia alienas summa prudentia considerasset, & quæ addenda, quæ minuẽda, vel moderanda, temperandave forent, pro temporis, loci, personarumq. ratione didicisset, vsuq. paulatim & experimento seruanda introduxisset.

a Ioan. 8.
b Iacob. 3.

Sed & præ ceteris ex eo sibi summam gloriã comparauit, quod, ne suas quantumlibet elaboratas, sub incudẽ sæpius reuocatas, omniq. ex parte probatas, in omnibusq; perfectas, præferre videretur antiquioribus a sanctis Patribus statutis Regulis, eas noluit, vt nouus legislator, fastu turgens edere & promulgare, sed recondidit & latere voluit. Ex his tu mihi dignosce Sanctos, æstima sanctiores, iudica sanctissimos. hanc adhibe [c] Christi staterã, & pondera Sanctuarij, quibus expenditur maior in regno cælorum, ex gradu nempe maioris humilitatis. Ex his, inquam, mihi eximiam Benedicti sanctitudinem prædica, tolle præconijs, & exaggera: nam paucorum est ista præstare, plurimorum scribere libros. Quamuis & hac ex parte sanctus Benedictus non sit sua laude fraudandus, vtpote, qui scribens Regulas, non de monachis tantum suis, sed de omnibus est bene meritus, factus toti orbi proficuus atque conspicuus. Vt iam non habeat, quod fastu tumens Græcia Latinis insultet, viuere Occidentales monachos Orientalium Regulis, cum tanti Patris beneficio habeat Latina Ecclesia in thesauris, quod Græcia mutuari possit ab ipsa. nam pene exolescentibus reliquis, Regulæ Benedicti vbique locorum frequentiori sunt vsu receptæ, & obseruantiori cultu retentæ. De his enim Honorius Augustodunensis hæc ait: [d] Benedictus Abbas monasterij Cassinensis scripsit Regulam monachorum, per totum mundum promulgatam.] ex his igitur satisfactum sit tuæ quintæ, atque etiam sextæ Sectioni.

c Matt. 18.
d Honor. Aug. de illust. eccl. Script. in Bened.

Sed & septimæ quoque, qua rursum demonstrare contendis antiquiorem Equitio sanctum Benedictum, abunde satisfactum est superius, cum de tempore, quo sanctus Equitius claruit, ex Cassiodoro præcipue declaratum est; sicut & confutatum est pariter, quod hic refricas, sanctum Equitium anachoreticam egisse vitam, pariterq. erroris etiam conuictum, quod nullas dixeras fuisse Regulas, quibus S. Equitius suos mo-

nachos instituere potuisset. Sed æque etiam satisfactum sit ijs, quibus confutare ad postremum id nisus es, quod Baronius dixit, in prouincia Valeria celebre monasterium eo tempore, nisi S. Equitij, nullum fuisse, ex quo peti posset Abbas, qui ad regimen S. Gregorij monasterij in Vrbem vocaretur. Quod enim opposuisti, S. Benedicti monasteria Sublacensia ex nomine S. Benedicti fuisse celebriora: satisfactum sit, inquam, dum est demonstratum, non fuisse in Valeria prouincia monasteria Sublacensia, pariterq. declaratum, auctoritate S. Gregorij, ea minime fuisse celebria, sed exilia, quibus nec Abbates dandi essent, sed Præpositi, quæ & cellæ potius propriori vocabulo dicerentur, quam monasteria.

Deinde, quod ad celebritatem Equitij monasterij pertinet, quodnam illo in ea prouincia potuit tunc inueniri celebrius? Erat illud nobilitate præcipuum, sub quo reliqua illa monasteria, quibus præerat sanctus Equitius, posita erant. Quodnam illorum duodecim S. Benedicti, in quibus singulis duodecim tantum monachi sub vno præfecto degebant, cum isto comparandum? An non celebrius cunctis Valeriæ prouinciæ monasterijs illud Equitij habendum fuit, illustratum tanti viri regimine, qui non ab hominibus, neque per homines ad conuersionem animarum, sed a Deo Apostolatum accepisset, quem & reuereri coactus sit ipsum totius Ecclesiæ caput Romanus Pontifex, illum numine exterrente? Quantam ex his putas viro sanctissimo gloriam comparatam, ac publice promulgatam, & quantum inde ipsius monasteria illustrata? præcipue vero illud, cuius Oratorium post obitum eius tutum asylum factum sit (vt ostendit sanctus [a] Gregorius) a sæuorum incursione Longobardorum. Vt non immerito ex successoribus & virtutum eius heredibus sibi Gregorius Abbatem elegisse intelligatur.

[a] Greg. dial. lib. 1. c. 4. in fine.

Octauam his subijcis Sectionem, rursus insurgens in ea, quæ a Baronio sunt asserta de S. Equitij in prouincia Valeria monasterio, ex quo Valentius Abbas a sancto Gregorio est petitus: Non recte, inquis, [concludit, nullum aliud celebre erat in prouincia Valeria monasterium, quam S. Equitij: ex eo igitur accersitus est Abbas Valentius.] vrges nimirum, potuisse Gregorium ex minus celebri monasterio eius prouinciæ Abbatem sibi deligere. sed, vt video, vel cauillaris, vel vim minime percipis argumenti. Audi igitur vnde sit deductum, & quo tendat Baronij argumentum. [b] Quod enim sanctus Gregorius suum Abbatem dixit fuisse Valentium, eumdemq. petitum e prouincia Valeria: cum in ea nulla alia nominata (sic enim voluit celebria dixisse) nisi Equitij monasteria fuisse legantur, ex vno illorum dictum Abbatem fuisse petitum, iure existimandum putauit. At quonam ex alio, quam ex aliquo monasteriorum S. Equitij Abbatem illum petitum dices, cum nullum in ea prouincia nominatum reperiatur monasterium, quod non esset positum sub S. Equitio? nam Sublacensia illa cœnobia extra Valeriam prouinciam fuisse constituta, nec talia quibus præficerentur Abbates, superius est demonstratum. Mendax ergo Trithemius recens auctor, qui inter Benedictinos Abbates numerat Valentium istum. sed peculiare ipsi,

[b] Id. ibid. lib. 4. c. 21.

quotquot

quotquot legerit vsquam monachos, etiam ex illis, quos constat ante sanctum Benedictum vixisse, mox inter Benedictinos annumerare.

Gregorio igitur potius inhærendum est, immo & cum eo solo sentiendum, qui pluribus notis ipsum a monachis sancti Benedicti secernit. Ex loco primum, quod in prouincia Valeria Abbatis munere fungeretur, quæ nec nominata saltem toto illo secundo dialogorum libro, quo sanctus Gregorius vitam sancti Benedicti contexuit, inuenitur, in qua tantum Equitij fuisse posita monasteria tradit. item ex loquendi vsu. Nam cum de Benedicti discipulis verba facit, semper eiusdem sancti Patris monachos fuisse docet. Valentium vero hunc, quem suum Abbatem fuisse dicit, cum reliquis sancti Benedicti successoribus Abbatibus non coniungit; neque ab eo, sicut ab alijs Abbatibus, S. Benedicti discipulis, de S. Benedicto se vel verbum obiter vllum accepisse testatur; cum tamen in rerum ab eo gestarum narratione, vna cum tribus illis nominatis Lateranensibus Abbatibus contexta debuisset vel quauis saltem occasione eiusdem viri mentio fieri, vt patris & institutoris ipsius, quod de alijs factum constat. Demum vero (vt vnica sententia rem absoluam) cum plura sint, quæ Valentium sancti Gregorij Abbatem a monachis S. Benedicti distinguant, nihil penitus inueniatur, quod ipsum illis adiungat; contra vero, cum nihil sit inuenire, quod ipsum ab Equitij monachis constituat alienum; plura vero sint, quæ ipsum ex eius germine propagatum ostendant: iure ex Equitij potius sobole, quam Benedicti eum fuisse monachum, est assertum. sed iam de his satis, ad nonam tuam Sectionem veniamus.

Qui hactenus frustra laborasti, vt positas ex S. Gregorio de suo monachatu diuerso ab ordine S. Benedicti confutares rationes: iam hac ipsa & ceteris, quæ sequuntur, Sectionibus plura argumenta afferre conaris, quibus doceas, ipsum S. Gregorium Benedictinum fuisse monachũ. Atque in primis ex cognatione cum sanctis Mauro & Placido S. Benedicti discipulis ita probas: S. Gregorius hos habuit consanguineos: ergo sicut illi, ita & ipse inter S. Benedicti monachos numerãdus.] Vtinam posses probare, quod astruis, fuisse S. Gregorium Mauri & Placidi consanguineum: concederemus, indulgentes tibi, vt quos nexuit vinculum carnis, strinxerit quoque simul spiritus nexus. licet hæc sibi inuicem aduersentur; & sancti viri timentes, ne quoquo modo teneantur affectu carnis, cum a spiritu ducti, mortificaturi opera carnis, sæculari vitæ nuntium remittunt, monasteria non deligant, in quibus stringi possint compede carnis, perfectam Abrahæ renuntiationem imitantes, cui dictum est: [a] Egredere de terra tua, & de cognatione tua.] Sed vnde ista quæso propinquitas sanguinis a te ostenditur? quod, inquis, sicut Maurus & Placidus, ita & S. Gregorius ex Anicia familia fuerit procreatus, & diploma extet antiquum, in quo Gordianus id disertis verbis affirmet. Trahis inuitum, fateor, & renitentem cogis apertissimam detegere imposturam de commenticio isto, quod citas, diplomate Gordiani, quod honoris causa optassem potius alto sepultum silentio & obli- [a] Gen. 12.

M 2 & obli-

& obliuione deletum: tamen quoniam ad ipsum prouocas, quale sit illud, patefacere, id te exigente, compellor. Extat ipsum editum post Chronicon Leonis Ostiensis, post librum quartum additum a Petro diacono, pagina centesima nonagesimaseptima, cusum Venetijs anno salutis millesimo quingētesimo decimotertio, curante Laurentio Vicētino monacho, vt ipse sua epistola nuncupatiua docet. quod sic se omnino habet:

In nomine Domini nostri IESV Christi Dei æterni, anno Incarnationis eius quingentesimo vigesimonono, Imperij vero Domini nostri conseruandi Iustini perpetui ac triumphatoris Augusti anno quarto, mense Iulij, die decimaquarta.

Christum se sequentibus, suaq. iussa seruantibus promissus est centuplum redditurus, & in cælesti regno vitam æternam daturum, quia quod Deo, & Sanctis eius conceditur, potest hanc vitā in cælesti palatio inuenire. Quod ego Gordianus illustrissimus ac spectabilis Consul almæ senioris Romæ aduertens, declaro deuenisse nos Cassini vna cum consanguineo domino nostro Tertullo Patricio, causa videndi, ac quærendi propinquos nostros clarissimos Placidum, Maurum, ac Felicissimum. Cumq. eumdem locum ingressus, & a venerabili patre Benedicto in fraternitatem, & societatem bonorum operum fuissem susceptus, nomina cum discipulorum suorum nominibus describi fecit. Quo facto nos quoque ad remunerandum tantæ charitatis vinculum, in præsentia dicti gloriosissimi Tertulli, nostræ a Deo conseruandæ ciuitatis Romanæ Patricij, in conspectu quoque parentum nobilium nostrorum, scilicet Symmachi, Vitaliani, Equitij, ac Dorothei, interuentu quoque ac postulatione dilectissimi filij nostri Gregorij, de præsenti in perpetuum concedo tibi serue Dei Benedicte, castra omnia, municipia, possessiones, & villas, omnia & in omnibus, quæ mihi ex parte Octauiæ stirpis, & Siluiæ nostræ dilectissimæ contectalis pertinēt in territorio nostræ Ciuitatis Romanæ, suburbio Aquinensi villam Eucheliam cum pertinentijs suis inter hos fines, &c.] post fines descriptos ista subijciuntur: Hæc omnia interuentu dilectissimi filij nostri Gregorij, propter singularem dilectionem, quam iam dictis Placido, & Mauro, ac Felicissimo habeo, ac pro redemptione quoque animæ meæ, & Siluiæ vxoris meæ, nec non propter Felicis, atque Transillæ, totiusq. stirpis Octauiæ, ad possidendum eidem seruo Dei Benedicto in perpetuum tradidi, confirmaui, donaui, ac roboraui ad semper habendum. Atque pallam altaris sancti Baptistæ Ioannis in eadem Cassinensi ecclesia obtuli cum intra se habentibus subter & supra cum vijs suis intrandi, & exeundi per omnia, & in omnibus. Si quis autem huius nostræ concessionis indiculum in aliquo violare præsumpserit, decem millia talenta auri purissimi Romano soluat Imperio, & hæc nostra concessio firma & stabilis in æuum permaneat. Actum est anno Imperij Iustini quarto, trecentesima vigesimasexta Olympiade.] post hæc istæ subscriptiones adduntur.

Ego Gordianus Romanorum Senator illustr. manus meę signo roboraui.

Ego Gregorius filius eius Consul illustr. subscripsi.

Ego

Ego Tertullus illustr. ac spectabilis almæ Ciuitatis Romæ Patricius.
Ego Symmachus Patricius & Consul.
Ego Vitalianus Patricius & Consul.
Ego Belisarius Patricius & Consul.
Ego Boetius Patricius & bis Consul compleui & reddidi decimaquinta Iulij.] hucusque diploma, quod, quicumque ille fuerit qui confinxit, certe ineruditus, imprudẽs, omniq. ex parte leuissimus homo extitit, vt qui nihil magis conari visus sit, quã vt quod commentus est, nullius penitus fidei inueniretur esse diploma. Omittimus dicere de eius Latinitatis imperitia, de phrasi ab eo tempore aliena, atque inusitatis formulis, vsu illo adsciscẽdi in sodalitiũ post longa tẽpora introductis: quotupliciter in notis tẽporis cõuincatur, ex quo impostura manifesta reddatur, sic accipe.

Anno Incarnationis quingentesimo vigesimonono, quo scriptum diploma ponitur, non Iustinus imperabat, siue Senior qui triennio ante iam obierat, siue Iunior, qui post plurimos annos successit, sed Iustinianus, qui tertium annum agebat in Imperio. Quod insuper Olympiade trecentesima vigesimasexta datum asseritur, omisso quod annus Olympiadis cum notato anno salutis non cohæret: inusitatum prorsus erat, vt publicum vllum monumentum his temporibus Olympiade consignaretur. Ac licet magna ista sint, quibus iure falsitatis diploma redarguas, minima ducimus si cum ijs conferantur, quæ dicturi mox sumus.

Mentio in eo habetur Gregorij filij Gordiani, quẽ ex matre Siluia, cuius in eodem iterata fit mentio, nõ alium quam sanctum Gregorium expressum Papam existimare cogimur, quem & ex subscriptione cum titulo Consulatus ætate iam grandiorem possumus intelligere. At eo anno valde puerum, immo necdum natum fuisse Gregorium, ex multis apparet. Tu vero ista adeo deformata vt quoquo modo aptare posses; nominatum illum in diplomate Gregorium, non Papam fuisse dicis, nec Gordianum illum, patrem Gregorij Pontificis, sed proauum, Gregorium vero auum Gregorij Papæ. sed ex quonam antiquitatis fonte ista deducis? Nonne ex matre Siluia agnoscis, Gregorium Papam ab impostore confictum? Quem tu vel ex eo redarguas, quod cum mentiendi habuerit voluntatem, nescierit falsitatem aliqua saltem verisimili ratione velare. Tu vero, vt dissuta mendacia consuas, sicut alium Gordianum, & alium Gregorium, ita & oportet vt aliam quoque Siluiam fingas. sed num vel sic stabit ita male consarcinatum commentum? minime gentium. nam attende alias in lacero panno scissuras.

Quid nam tu dicis de illa tam enormi in diplomate apposita mulcta decem millium talentorum auri purissimi? ignorasse visus est qui finxit, quanti ponderis esset talentum auri: quod si scisset, plus satis ipsi videri potuisset talenti vnius adiecisse pœnam. Sed & quid Romano ea persoluenda Imperio ipse decernit, cum in Occidente iam nullum esset Imperium, soliq. in Italia Gothi regnarent, sub Iustino Theodoricus, & sub Iustiniano tunc imperante Athalaricus. cum Imperatores, non nisi extinctis Regibus Gothis, iuris quidquam sibi Romæ, vel in Italia vendicarint?

dicarint? Quid insuper ponitur subscripsisse Belisarius Patricius & Consul, cum Romam non viderit Belisarius ante annum Domini quingentesimum trigesimumseptimum, quando aduersus Gothos cum exercitu veniens eadem potitus est Vrbe, id Procopio, id reliquis omnibus antiquis Scriptoribus absque controuersia asserentibus? Quale illud insuper, quod ad calcem diplomatis habetur: Ego Boetius Patricius & bis Consul compleui & reddidi? Num tabellionis munere Boetius fungebatur? vel quomodo bis Consul potuit subscripsisse, quem ante triennium constat a Theodorico Rege iussum truncari capite? Hæc de diplomate pauca e multis, quæ obijci possent, dicta sunto. Ex illo nunc probari contende, Gregorium Placido & Mauro sanguine fuisse coniunctum.

Quod autem eumdem Gregorium pari ausu asseueras fuisse Anicianæ familiæ; certe nobilissimo ortum genere nemo prudens puto negarit; fuisse autem huius vel alterius familiæ, cum antiquorum nemo reperiatur id testatum alicubi reliquisse, id vero diuinare est, & temerarium valde, quod nescitur, asserere. Qui autem dixit Felicem Papam, quem atauum suum Gregorius appellat, Anicianæ fuisse familiæ, vnde acceperit, cum ipse non prodat, nullius potest esse auctoritatis, quod recẽs Scriptor pro arbitrio tradit. At tu in hoc omnino audiendus, qui ex antiquioribus monimentis id te proditurum iactas: sed ex quibus, audiamus; sic enim ais de homine tibi amicitia cōiunctissimo: Vir doctissimus Arnoldus Belga ex archiuo Cassinensi affert aliud donationis instrumẽtum sancto Bonito Cassinensi Abbati quinto a Gordiano Gregorij patre concessum. At hunc auctorem in his citasse, plane vereor ne sit te ipsum insigniter leuitatis nomine sugillasse. Apud doctos enim & peritos rerum antiquarum, quibus abundat sæculum nostrum, ex libro, quẽ edidit de Aniciano stemmate, quo nititur probare, Philippum Regem Catholicum ex familia sancti Benedicti descendere, quem & Anicianum genere fabulatur, ipso auditu exploditur cum risu, & eijcitur cum nausea tota eius narratio, tamquam opus contextoris mendaciorum, & delirantium somniorum auctoris. de quo, vt me calumnia liberes, percontare eos, qui Romæ sunt eius facultatis, viros doctissimos, vestri etiam ordinis studiosissimos. Ex eius igitur fabellarum promptuario inter alia recitas fragmentum, in quo Gregorius Anicius cognominatus inuenitur. Ego hic reddam integrum, vt ab Arnoldo ponitur in ipso libro, quem scripsit de Aniciana familia in stemmate secundo, gradu octauo, Aniciano vigesimoquarto, vt magis miretur Lector, cum viderit ex impostura compositam imposturam, ita enim legitur apud Arnoldum.

In nomine Domini Dei Saluatoris N. I. C. imperante domino Iustino Iuniore perpetuo Augusto, anno quarto, post Consulatum eiusdem domini nostri anno secundo, Indictione secunda, mense Iulij, die decimaquarta, sancto & venerabili monasterio in monte Cassino, a beatissimo Benedicto constituto, in quo est Bonitius reuerendissimus Abbas, & per eum cunctis successoribus suis, in isto sanctissimo monasterio mansuris,

ſuris, & regulariter ſubſtituendis in perpetuum pro laude & gloria & honore Dei,& beatiſſimi Benedicti; in quibus fiduciam habeo: ego Anicius Gordianus pro Dei omnipotentis amore, & animæ ſaluatione dilectiſſimorum noſtrorum parentum, Symmachi, Tertulli,Vitaliani,Equitij, Dorothei, interuentu quoque & poſtulatione dilectiſſimi filij mei Anicij Gregorij, de præſenti in perpetuum concedo, dono, offero tibi ſeruo Dei Bonitio fundos, villas, & poſſeſſiones, quæ ad me ex parte Aniciæ ſtirpis, ac Siluiæ meæ coniugis pertinent in territorio Aquinenſi &c.] ita infra in eodem inſtrumento: (nam illa tantum, ait ipſe, affero, quæ præſenti inſtituto ſeruiunt) paulo poſt ſubditur: Hæc omnia dilectiſſimi filij mei Gregorij interuentu, pro redemptione animæ meæ,& Siluiæ iugalis meæ, totiusq. Aniciæ ſtirpis, a præſenti die largior vobis pro ſuſtentatione Fratrum in eodem monaſterio permanentium.]hucuſque ex eo diplomate Arnoldus.

Qui ad tegendam impoſturam,ne quis arguere poſſet hoc ipſum,quod ponit inſtrumẽtum,idem eſſe,paucis mutatis, cum eo, quod proxime ex libro Chronici Caſſinenſis recitatũ eſt,mox ſubijcit iſta:Prædictum autẽ inſtrumentum Caſſinẽſe diuerſum ab illo, quod eſt in fine Chronici Caſſinenſis excuſum,licet multis demõſtretur, vtpote quod illud ſub Iuſtino Seniore anno Chriſti quingenteſimo vigeſimonono,S.patre Benedicto viuente;iſtud vero ſub Iuſtino Iuniore,anno quingenteſimo ſexageſimonono tẽpore Abbatis Bonitij facta legantur:at præcipue id elucet ex verbis Gordianorum.In primo namque inſtrumento excuſo dicit Gordianus ſe deueniſſe ad mõtem Caſſinum cũ Tertullo,Symmacho,Vitaliano,Equitio,ac Dorotheo parentibus ſuis,& omnia illa largiri S.Benedicto, a quo fuerat benigne ſuſceptus:in iſto autem inſtrumento manuſcripto fatetur alter Gordianus ſancti Gregorij pater,ſe illam donationem Bonitio Abbati facere pro anima prædictorum parentũ ſuorum, qui defuncti erãt.] hucuſque de his Arnoldus, quem par erat exſufflare, & non excuſare commentum, quod quiſque vel mediocris eruditionis vir ſatis agnoſcere potuiſſet. ſed dum excuſat, ſeipſum accuſat, & quidem multipliciter. Primum quidem quod recitatum ante diploma Gordiani,tempore ſancti Benedicti(vt ait)perſcriptum,quot eſſet ornatum mendacijs nõ cognouit,& commenticium atque adulterinum eſſe non intellexit.Deinde quod illud ipſum in quibuſdam mutatum, & plane adulteratum, impoſturam ex impoſtura textam non videns in lucem dedit tenebris potius obruendum. Demum vero quod non ſolum illud falſitatis nõ redarguit, ſed vt partum ſuum, ſic male editum, tamquam ſibi proficuum, idoneumque,ex quo poſſit probare quod velit, retinuit atque defendit.

Verũ quod diuerſum non ſit,ſed idẽ ipſum alteratũ,vel potius adulteratũ, ex ijs quæ in eo integra relicta ſunt, prudens quiſque facile poterit intelligere. Primum quidẽ quod iſtud perinde atque illud datum dicitur Iuſtini Imp. anno quarto, menſe Iulij, die decimaquarta, licet aſtute admodum a poſteriori abraſus ſit annus ſalutis, & Iuſtino additum nomen Iunioris, cum nota Conſulatus. Inſuper quod iſtud, ſicut illud, di-

catur

catur interuentu Gregorij filij factum, sed additum in posteriori Gregorio cognomentum Anicij, cuius causa totum illud commentum noscitur fabricatum. Quod etiam in hoc, sicut in illo, Gordiani vxor Siluia Gregorij mater nominetur, in priori quidem sic: Hæc omnia interuentu dilectissimi filij nostri Gregorij, propter singularem dilectionem, quam iam dictis Placido, & Mauro, ac Felicissimo habeo, ac pro redemptione animæ meæ, & Siluiæ vxoris meæ, &c.] in posteriori autem: Hæc omnia dilectissimi filij mei Gregorij interuentu, pro redemptione animæ meæ, & Siluiæ iugalis meæ, &c.] Quod denique in vtroque (quod maioris momenti videri potest) eiusdem rei donatio facta ponatur, nempe villæ apud Aquinum positæ: in priori sic: Quæ mihi ex parte Octauiæ stirpis, & Siluiæ nostræ dilectissimæ contectalis pertinent in territorio nostræ Ciuitatis Romanæ suburbio Aquinensi, villam Eucheliam cum pertinentijs suis &c.] in posteriori autem his verbis: Villas & possessiones, quæ ad me ex parte Aniciæ stirpis, & Siluiæ coniugis meæ pertinent in territorio Aquinensi &c.] Vbi igitur idem annus Imperatoris, idem mensis & dies, idem donantis nomen, & coniugis Siluiæ, & cuius interuentu fit donatio, Gregorij pariter nomen idem est expressum, eadem denique res donata ponitur & nominatur: quis erit, qui vnum idemq. diploma fuisse dubitet, paucis additionibus & diminutionibus ab impostore interpolatum? Finge tu (quisquis auctor es imposturæ) ad libitũ alium illum Gordianum esse: numquid ex nomine Siluiæ coniugis aliũ quam patrem Gregorij Papæ, qui ex Gordiano patre & Siluia coniuge natus est, potes asserere? Oportuisset te excogitare aliam quoque Siluiam, & alium Gordianum. Sed nec sic quidem vtrumque commentum tot alijs certis signis imposturæ conuictum subsisteret. De priori iã satis dictum, ex quo cum ipsum corruat, infertur ruina posteriori, quod ex additamentis illis appositis tantum abest vt fulciatur, vt potius violentiori impetu prosternatur. nam accipe.

Datum dicitur anno Redẽptoris quingentesimo sexagesimonono. Vbi autem datum, & cui datum sit, his verbis exponitur: Sancto & venerabili monasterio in monte Cassino a beatissimo Benedicto cõstituto, in quo est Bonitius reuerendissimus Abbas, & per eum cunctis successoribus suis in isto sanctissimo monasterio mansuris &c.] Sed quomodo eo anno, & Cassinensi monasterio, & in Cassinensi loco diploma datum fingi potuit, si eo tempore monasteriũ non extabat, excisum iam penitus & dirutũ incensumq. per Longobardos? Et si ita res est, vt certe est, quomodo in eodem diplomate subijci hæc verba potuerunt: A præsenti die largior vobis pro sustentatione Fratrũ in eodem monasterio permanentium?] si, inquam, monasterium iam erat excisum, & monachi omnes Romam migrauerãt: quid monasterio pro permanentibus ibi tunc monachis donari potuit? Quod autẽ iam ante incensum & dirutum a Longobardis fuerit nullatenus negari potest; cum tãta clades satis superq. sui immensitate famosa, certa temporis nota remanserit posteris consignata, omnibusq. notissima. de qua ceteris antiquior rerum Cassinensium Scriptor, eiusdem monasterij

nasterij alumnus atque Bibliothecarius, Leo Ostiensis [a] Episcopus hæc habet: Cum iam ab Incarnatione Domini quingentorũ sexaginta & octo annorum circulus volueretur, præfatum cœnobium Cassinense videlicet, nocturno tempore, quiescentibus Fratribus, ingressi sunt Longobardi &c.] Nec est quod dicas in numerum annorum salutis in diplomate positum errorem irrepsisse: nam idem annus Redemptoris quingentesimus sexagesimusnonus anno quarto Iustini Imperatoris, qui in eodem asseritur, pariter consignatur. Sed & cum secunda Indictione ipsum habitum reperitur, eadem idem ipse annus quingentesimus sexagesimusnonus insinuatur. Quod igitur triplici remanet consignatum Chronographia, absque mendo conuincitur permanere. His adde, quod si Bonitio Abbati istiusmodi donatio facta est; vtique post desolatum cœnobiũ oportuit contigisse. Nam si prædecessores Bonitij Valentinianus, & Simplicius Lateranensi cœnobio præfuisse dicuntur, [b] vtique post destructum a Longobardis Cassinense cœnobium id factum oportuit. Hæc de commenticijs diplomatibus, quibus Gregoriũ asserere studuisti coniunctum sanguine fuisse cum Placido & Mauro, & Aniciana familia genitum. Quorum quoque diplomatum falsitas vel ex eo in suspicionem saltem adducenda erat, quod Leo Ostiensis, qui monimenta quæque Cassinensis cœnobij & aliorum scrutatus, nihil (vt profitetur) omisit de his quæ spectant ad donationes eidem monasterio a diuersis exhibitas, nihil reliquit non peruestigatum; de his tamen diplomatibus ne verbum quidem habeat. Sed & quod de consanguinitate sancti Gregorij cum Placido & Mauro in altero eorum diplomate habetur (vt hoc addam) vel ex eo minime recipiendum erat, quod cum sanctus Gregorius cõsueuerit suis scriptis sanguine sibi coniunctos nominatim exprimere, vt cum agit de Felice Papa; mox atauum suum fuisse dicit; cum de Tarsilla, amitam suam nominat; cum de Aemiliana & Gordiana, sorores pariter appellat patris sui: fecisset proculdubio hoc ipsum in Placido & Mauro, cũ de ipsis agit; si eos, vt dicis, suos fuisse consanguineos cognouisset. Nihil est ergo, vt vel ex consanguinitate, vel ex familia Aniciorum S. Gregorium fuisse Benedictinum monachum possis asserere.

[a] Leo Ostien. Chr. Cass. lib. 1. c. 2.

[b] Greg. dial. lib. 2. in praef.

Sed mirum, quod dum asseris cum Arnoldo sanctum Gregorium ex Aniciana familia genitum, non ex hoc ipso deducas argumentum pariter, quod monachus fuerit sancti Benedicti, eo quod ab eodem constanter asseritur, etiam ipsum Benedictum fuisse ex Aniciana familia. ita enim habet in gradu quinto, Aniciano vigesimoprimo secundi stemmatis: Sanctus Anicius Benedictus Probus Eupropij Probi Comitis Nursiæ filius, ex Abundantia Reguardata matre, vno partu editus cum Scholastica sorore, anno Domini quadringentesimo octogesimo in ciuitate Vmbriæ Nursia &c.] Hæc tuus doctissimus Arnoldus, qui, vt præfatur in nuncupatoria epistola ad Philippum II. Regem Hispaniarũ, conari se dicit ostendere, Austriacorũ familiam nobilissimã eodem cum S. Benedicto sanguine prognatã, quod pro certo & explorato frequẽter affirmat. Visa sunt mihi ista, sicut omnibus ea legẽtibus doctis viris, fateor,

deliria phrenetide laborantiũ, indigna profecto quæ a venerandi ordinis monacho proderentur in lucem, quæ risum quoque mouere possent Heraclito obstinate lugenti. aliunde plane, quam ex Aniciano stemmate comparata est nobilitas Benedicti. Stat ipsa, stabitq. in æternum tamquam bene fundata supra firmam petram solida semper constans S. Benedicti vera nobilitas, non ex carne, sed ex spiritu edita, virtutibus aucta, ex rebus præclare gestis perenniter illustrata, Crucis Christi insignibus summopere decorata, toto orbe terrarum præconijs celebrata.

Quod autem ad stemma progenitorum spectat, satis ipsi ad nobilitatem, quod sit ex ingenuis parentibus ortus: neque enim aliquid amplius tribuit illi S. Gregorius [a] cum ipsum ait liberiori genere ex prouincia Nursię exortum.] liberius genus dixit, quod valde ingenuum, & procul a seruili descenderit. Non improprijs in genere S. Gregorius describẽdo vsus aliquando vocibus reperitur. nam cum de S. Galla [b] agit: Galla, inquit, huius Vrbis nobilissima puella Symmachi Consulis ac Patricij filia; cum de Liberio [c] Patricio: Liberius, ait, vir nobilissimus: eodemq. modo in reliquis. Ceterum ex historia quam narrat de filio Defensoris S. Benedicti discipulo, plane significat ipse Gregorius cuius nobilitatis S. Benedictus esse potuerit, cum eius comparatione filius Defensoris (est is gradus infimus magistratuum) illo nobilior haberetur. rem ille gestã in dialogis sic exponit: [d] Quadam quoque die, dum venerabilis Pater, vespertina iam hora, corporis alimenta perciperet: eius monachus cuiusdam Defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat. Cumq. vir Dei ederet, ipse autem cum lucerna ministerio astaret, cœpit per superbiæ spiritum in mente sua tacitus voluere, & per cogitationem dicere: Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitium impendo? quis sum ego, vt isti seruiam? Ad quem vir Dei statim conuersus, vehementer cœpit eum increpare, dicens: Signa cor tuum frater, quid est quod loqueris? signa cor tuum &c.] At vnde hæc illi eius tumoris occasio? non quia se Benedicto sanctiorem, vel ministerio maiorẽ existimaret: erat enim ille magister, iste discipulus, ille pater, hic filius, Abbas ille, monachus subditus iste; non ex his quidem, sed (vt bene explicat S. Gregorius) quod scilicet Defensoris fuisset ipse filius, quo nomine ipsi videretur sancto Benedicto longe nobilior. Erat autem Defensor tenuis magistratus, cui vnius tantum ciuitatis negotia gubernanda committebantur (vt ex Cassiodoro [e] redditur manifestum) a conciuibus postulatus.

Ex his igitur intelligere poteris quantæ nobilitatis fuerit Benedictus, cuius comparatione filius Defensoris longe nobilior videretur. Vnde ad illud Pauli Apostoli sit hoc etiam loco recurrendum: [f] Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.] An æmulamur [g] Dominum, & fortio-

a Greg. dial. lib. 2 in prin.
b Id. lib. 3. c. 13.
c Id. lib. 3. c. 13.
d Id. lib. 2. c. 20.
e Cassiodor. Var. lib. 7. c. 11.
f 1. Cor. 5.
g 1. Cor. 10.

fortiores illo sumus, vt illos velimus nonnisi in purpura genitos esse Sanctos, quos ipse erexit de stercore, vt collocaret cum Principibus populi sui? Cum alioqui si insit nobilitas, non spernenda, sed magis prædicanda: quod viri sancti fecisse dicuntur. Porro ista somnians vester Arnoldus, quantum sapiat, euidenter apparet. cuius quidem commentarij si tot tantum errores, quot paginas, enumerauero: multum quidem certe illi, & plus satis indulsero. sed de ipso, & cum ipso alias: tecum modo agenda res est animo pacatissimo.

Decima Sectione, vt reuoces ab Equitio, & redigas sub Benedicto Gregorium, ea insurgis ratione, quod multa donata a proauo, patre, matre ipsius Gregorij, atque ab ipso Gregorio inueniantur S. Benedicti cœnobio, nulla vero S. Equitij monasterijs. Ista vero de donatis monasterio S. Benedicti, vt probes, superius citata diplomata affers, quæ cũ nulla ex parte cohęrentia, sed omnino adulterina sint demonstrata, & superius confutata; vt ab his desistas, ad ea te accuratius intuenda reijcimus.

At quid dicam? A nobis inuitis rursus extorques, cogisq. pandere, quæ perpetuo essent relinquenda inuoluta silentio. Siquidem eiusdem quoque generis reliqua esse diplomata, ibidem post finem quatuor librorum Chronici Cassinensis posita, & affectatã antiquitatem præ se ferentia, libere asserere non dubitamus. Id vt magna fiducia affirmemus, suadet in primis rerũ antiquarũ cœnobij Cassinensis Collector vester Leo Ostiensis Episcopus eiusdem monasterij antiquus monachus, ac munere Bibliothecarius, qui industria incomparabili, atque scrupulosa (vt ipse ait) sollicitudine fuit in perquirendis vndique donationibus ad idẽ monasterium spectantibus, vt sua nuncupatoria epistola ad Oderisium Cassinensem Abbatem ipsemet ingenue profitetur. Vnde non immerito in falsi suspicionem adducantur, quæcumque ab ipso non cognitæ nec repertæ post eum in lucem prodierunt, in illum angulum reiectæ diuersarum donationum tabulæ; proscribendæ omnino, cum nullo veritatis glutino cohærentes deprehendantur. Ceterum sicut ab exordio nascentis monasterij multa ibi donata a nobilibus Romanis nõ solum inficias non imus, sed parati sumus redarguere, qui hoc negent: ita falsa ista atque cõficta diplomata post quatuor illos libros edita a Laurentio Vicentino, eiusdem ordinis monacho, quantumlibet ex antiquioribus codicibus ea esse descripta velit, vt comprobemus, nullatenus adduci possumus.

Et vt cursim singula peruoluamus, incipiendo a primitus facta, seu potius ficta donatione Tertulli, Placidi patris, vide quale principium eius: Tertullus Dei gratia inuictissimæ Reginæ cæli, terræq. Ciuitatis Romanæ Patricius, Dictatoribus, Magistratibus, Senatoribus, Consulibus, Proconsulibus &c.] Quis audiat, & non rideat nouam numquam auditam Vrbis nomenclaturam, vt Regina cæli dicatur? De nomine Dictatoris quid dicã, ante tot sæcula exoleto? sed omissis ceteris, iunge principio finem ipsum: Si quis autem hoc decretum nostrum violare præsumpserit, quatuordecim millia talenta auri purissimi soluat Imperio.] hæc ibi. Quæ quidem ad minuendam omnem penitus fidem

eius,consultius dici minime potuerunt,vt apparet ex ijs quę superius dicta sunt, vbi de apposita tot talentorum auri mulcta adeo enormi actum est. Vnde magis Bellottus erubescat, qui huiusmodi obiectiones illatas nulla penitus ratione confutet; sed illud peculiare sibi respondere satis habeat, quod ea bona a monasterio possideantur, quasi de bonis sit quæstio,& non de suppositis documentis. de sequenti diplomate nomine Gordiani dictum est pluribus suo loco.

Quæ vero tertia ordine posita(omissis interiacentibus quibusdam epistolis eodē morbo laborantibus) Iustiniani Imperatoris donatio,seu potius cōfirmatio donationis a Tertullo factæ,cum obtulit Placidū filium S. Benedicto,eiusdē notæ ac generis esse comperitur, in qua inter alia: Confirmamus,inquit,& corroboramus in perpetuum cūcta, quæ idem Patricius cum iam dicto Placido filio suo Benedicto seruo Domini obtulit, castrum Cassinum,castrum Fortunæ,Interamneam,Caricam,Aquiloniam, Suessam,Fundos,Caietam,Minturnas, Formiam, Atinum,Arpinū,Galaciam,Soram,Albam,Apamiam, Arestinam, Transaquas,Oresinum,Carseolim, Theatem, Sulmonem, Aufidenam, Iserniam, Venafrum, Bouianum, Calanum, Aquasuiuas, Fabrateriam, Aquinum, cum ecclesis, xenodochijs, villis & castris &c.] Quæ omnia cum ex pluribus alijs, tum ex falsa apposita subscriptione falsorum testium, vel iam antea defunctorum, vel falsis titulis inscriptorum, falsaq. penitus rerum assertione omnino commenticia a Baronio in Annalibus [a] ostensa sunt, vt de his non sit mihi amplius laborandum. Sane quidem cum confirmare dicatur Iustinianus Imperator quæ fuerant a Tertullo donata, & numeret multa oppida, & ciuitates (vt audisti) quæ in donatione Tertulli non continentur, imposturam ad imposturam ab aliquo appositam quis non videat? & cum subijcitur donatio a Iustino Seniore Imperatore eidem monasterio concessa, par cum ceteris commentum omni ex parte detegitur. Nam Iustini illius Imperium,Theodorico in Italia regnante,contigit, quando (vt Baronius docet, & annis singulis in Annalibus suis ostendit) nec glebam quidem Imperator Orientis in Italia possidebat; nec cuiquam ciuium Romanorum ciuitates erant propriæ, quas donaret. Sed adhuc instas ipse respondens: Isthæc ita de gleba dicentem Baronium non admirari profecto non possum. Nonne Gothorum Regum tempore Orientis Imperatoribus Campania, Calabria, Sicilia, opulentæ prouinciæ parebant, in quibus Cassinensis cœnobij oblationes munerariæ continebantur?] minime gentium,nullo,inquam,modo:nam erant omnes istæ prouinciæ sub Theodorico Rege Gothorum,cuius tempore facta ea donatio perhibetur. Quod & tu,si Procopium legas, inuenies,aut breuem [b] epistolam Iustiniani ad Francos datam, in qua hæc habet: Nostræ ditionis Italiam per vim Gothi ceperunt: non solum restituere hanc nobis haud quidem decernunt, sed iniuria insuper nos afficere non toleranda quidem &c.]

[a] Annal. to. 7. ann. 541.

[b] Procop. de bello Goth. lib. 1.

Ad ea vero, quæ obiecta sunt a Baronio de Tertullo, quod sub Theodorico Rege nulla Romanorum erant oppida, & ciuitates, quæ donari possent

possent ab illis monasterio Cassinensi, quid tu respondes? Quod si sub Gothis, inquis, Romanorum Patriciorum nullus aliquid habebat: quorsum Theodorici lex illa, vt lites in singulis prouincijs a Comitibus cognoscerentur?] Hæc tu respondens ad obiectionem factam de possessione ciuitatum, & oppidorum, videris existimasse Comites, quos dicis causas cognoscere consuetos in prouincijs, fuisse dominos oppidorum, & ciuitatum, vt nunc est in more: sed errasse te senties, si diuersarum ciuitatum formulas Comitiuarum apud Cassiodorum legeris, vt & te pœniteat, Baronium ista dicentem arguisse.

Quod autem dictum est de impostura primi Iustiniani diplomatis, dicendũ est pariter de sequenti, dato (vt in eo legitur) Vigilio Papa rogãte. Nam cũ adhuc superstitem fuisse S. Benedictũ ostendat illis verbis: Concessimus monasterio S. Ioannis Baptistæ sito Cassini, vbi communis pater Benedictus seruus Domini præest, terras inter Romanum Imperium &c.] apertissima patet impostura, cum tui ipsius, & tuorum testificatione satis exploratum sit, S. Benedictum vitam vltra annum Redemptoris quingentesimum quadragesimumsecundum vel tertium non produxisse; diploma autem datum ponatur anno vigesimotertio Iustiniani Imperatoris, quo annus salutis vndequinquagesimus post quingentesimum, post obitum S. Benedicti iam sextus vel septimus numerabatur. De Gregorij autem Papæ priuilegio asserto, Bonitio concesso in fine dicturi sumus, sicut a te in fine ponitur. De Zachariæ Pontificis priuilegio, cuius æstimationis sit, satis superius dictum est in Apologetico. Hæc (vt diximus) cursim pertranseuntes voluimus obiter annotasse, verrentes scopa quisquilias, quæ se ante pedes offerrent, quantum scilicet ad institutum satis esse cognouimus.

Quod insuper ad confirmandas easdem falsas donationes citas Acta Placidi, Gordiani nomine scripta: cuius illa fidei sint, [a] Baronius paucis significauit; tu ad illa responde, & deinde tecum negotium erit. Quod vero Leonis post hæc Ostiensis, & Petri diaconi antiquorum Cassinensium Scriptorum testimonium pro te cites, qui aduersum te adeo manifeste testentur, omnes iudicent. Dum enim falsam illam tueri laboras donationem Tertulli, qua Cassinensi cœnobio donatæ dicuntur ciuitates superius numeratæ: [b] satis Leo te redarguit Ostiensis, qui disertis verbis tradit, a Tertullo donatas Cassinensi monasterio decem tantum & octo Curtes. sunt hæc eius verba: Beatum etiam Placidum discipulum suum vir Domini Benedictus tunc ad Siciliam misit, vbi Tertullus Patricius eiusdem Placidi pater decem & octo patrimonij sui Curtes eidem sancto Benedicto concessit.] hæc Leo. per Curtes autem non nisi quædam terræ iugera significari, ex eodem Leone poteris intelligere. [c] Petrus vero diaconus nihil a Tertullo donatum sancto Benedicto asserit, nisi Cassinum cum finibus suis, quæ fuerat villa Varronis.

a Baron. tom. 7. an. D. 541.

b Leo Ost. lib. 1. c. 1.

c Pet. diac. li. 4. c. 13.

Sed iniusta de Baronio vestra querela. Nam cum ista omnia erroris redarguit, nequaquã insultans vel exprobrans id fecit, sed dolens. quod ad finem ipse profitetur, cum ait: Sed missa isthæc, quæ dolemus ab aliquo

otioso

otioso confìcta, vtpote non (quod frustra putarit) illustrante res patris sanctissimi Benedicti, sed obscurante potius huiusmodi mendacijs, densarum instar nubium globis fulgentis vndique radijs solis oppositis. Miramur vero magis eadem ab eiusdem sacri ordinis monachis viris doctis non fuisse reiecta, & obliuione omnino sepulta. Non indiget qui eos primus tantus genuit pater, neque ab eo descendens sancta & generosa posteritas, per cuncta sæcula in Ecclesia Dei feliciter propagata, & sanctis ramis mirifice dilatata, hisce ementitis gloriæ titulis, siue ex sanguinis nobilitate, siue ex diuitiarum amplitudine comparatis: qui etsi nec his omnino caruere, ex virtutibus tamen terræ & cælo sunt redditi celeberrimi.] hucusque ipse. Vides ne, quot fasciarũ ornamentis, quæ superent infulas Regum, alligarit vestra indecora vulnera ipse Baronius, vestrum omnium amantissimus, sed falsitatum dumtaxat, ac mendaciorum implacabilis hostis? cum tamen ex vobis aliqui veluti furore perciti dum ligamenta frangunt, & vulnera confricant, crudeles in se ipsos, ea exasperantes, vt magis magisq. recrudescant, imprudentes efficiant, sed reliqua quæ subijcis prosequamur.

Vndecima item Sectione exaggerans, quæ a sancto Gregorio sint donata monachis S. Benedicti, vnde coniecturam facias, ipsum fuisse Benedictinum monachum: addensq. sex monasteria a sancto Gregorio in Sicilia fuisse fundata, quæ S. Benedicti Regulæ subiecerit, citas in eam rem Ioannem [a] diaconum: qui cum asserat monasteria illa fuisse a S. Gregorio erecta; quod autem subiecerit ipsa Regulæ S. Benedicti, ne verbum quidem habet, vt nec reliqui res gestas eiusdem S. Gregorij prosequuti. Quod si quæ nunc sunt in Sicilia monasteria, aliqua inueniantur S. Benedicti Regulis viuere, ostendere non potes, illa vel a S. Gregorio fuisse erecta, vel ab exordio S. Benedicti Regulis informata: plura siquidem monasteria (vt dictum est) cum S. Basilij, vel aliorum Regulis antea regerentur, promulgatis S. Benedicti Regulis, illas tandem obseruandas suscepere, vt de monachis Lerinensibus manifestum est exemplum. Sicut igitur, ex omnibus, quæ a te sũt adducta de donationibus a proauo, auo, patre, matre S. Gregorij, & ab ipso etiam Gregorio Benedicto ipsi, vel eius successoribus factis (vt audisti) nihil est penitus, quod subsistat: ita prorsus nihil habes, quod dicere possis; nihil ab eo monasterijs in prouincia Valeria sub Equitio constitutis datum fuisse, cum inuasionibus Longobardorum expilata monasteria, & Scriptorum monimenta perijsse nemo nesciat. sed ex eo, quod ad nobile monasterium Romæ ad Cliuum Scauri a se erectum gubernandum eius prouinciæ monasterij Abbatem adsciuerit: de monachis eiusdem Collectionis ipsum optime fuisse meritum, quis poterit dubitare?

[a] Ioan. diac. vit. S. Greg. lib. 1. c. 5.

Addis vero duodecima Sectione aliam quoque coniecturam, qua suadere laboras, S. Gregorium Benedictinum fuisse monachum, quod eius Regulam iam factus Pontifex in Synodo comprobarit; cum e contra quod S. Equitij Regulam probarit, nulla sit mentio. At non intelligis, iure indiguisse nouam Regulam nuper editam Apostolicæ Sedis con-

confirmatione, Equitij autem Regulam longe antiquiorem, siue Basilij, siue Pachomij, diu ante receptam atque probatam noua non opus habuisse Gregorij approbatione. Ceterum cum confirmatam a S.Gregorio Papa Regulam S. Benedicti, quam in dialogis laudat, æque Baronius in Annalibus asserat: ex ijs tamen monimentis, quæ tu modo ex monasterio Sublacensi in lucem prodis, tantum abest, vt id probetur, vt alia potius, quæ sunt recepta, in dubitationem hinc maxime reuocentur. Recitatur autem a te integrum ipsum confirmationis diploma in Romana Synodo datum: quod (mihi crede) si ad Lydium admoueas lapidem, inuenies ex multis indicijs adulterinum. Nam quod datum fertur in Romana Synodo, Indictione duodecima quarto Kal. Iulij per manus Ioannis Episcopi Albanensis Bibliothecarij Apostolicæ Sedis; præterquam quod Indictio duodecima pro decimatertia est posita, & quarto positum pro quinto Kal. Iulij,[a] vt apud S.Gregorium legitur; quæ menda vitio librariorum in re tā antiqua facile poterant irrepsisse: excusari error ille quomodo potest, quod in eo ponitur subscriptus Ioannes Episcopus Albanensis; in Actis autem Synodi, qui Albanensis Episcopus subscriptus reperitur, non Ioannes, sed Homobonus appellatur? Ceterum nec temporibus Gregorij Papæ, sed longe post ille ingressus est vsus, vt per Episcopos Bibliothecarios publica ederentur monimenta. Gregorij enim ætate per Notarios dabantur, vt exemplo sunt tum alia S.Gregorij diplomata, tum illud, quod libro nono epistola vigesimasecunda expressum habetur, vbi nulla de Bibliothecario, sed de Aemiliano tantum Notario fit mentio. ista satis ad duodecimam Sectionem.

[a] Greg. lib. 4. ep. 74. Ind. 13

Adijcis vero decimatertia Sectione, ex eo, quod propensior erga monachos S. Benedicti ordinis videatur fuisse Gregorius, argui etiam posse, ipsum Benedictinum monachum fuisse; propensionisq. exemplum adducis, quod Constitutionem in Concilio Lateranensi pro monachis ediderit, hac inscriptione notatam: Decretum Concilij Lateranensis de quiete, libertate, atque exemptione Nigrorum monachorum.] quasi hac nota coloris Benedictinos monachos voluerit expressisse: cum tamen in libris excusis, sicut & in scriptis antiquitus codicibus Vaticanis nusquā sit eiusmodi inscriptionem reperire de monachis Nigris, quam tu ex, nescio, quo incertæ auctoritatis volumine tibi vendicas. Sed quid proficis? Dum enim nigrum colorem solis Benedictinis adscribis, plane a Benedictinis Gregorium segregas, eiusq. pariter monachos ab eis disiungis. Etenim in antiquissimis picturis, quæ hodieq. in Vrbe visuntur, in Oratorio S. Andreæ ab ipsomet S.Gregorio constructo, vbi & vita ipsius descripta est ab eo tēpore, quo ex monasterio ad Cardinalatū vocatus est, vsque ad obitum, in quibus frequenter monachos eius socios, eiusdem monasterij professores depictos videre est omnes castaneo neminem illorum intueri licet nigro colore vestitum: vt vel ex hoc vno saltem iam satis appareat, tum S.Gregorium, tum eius successores monachos distinctos fuisse a nigro colore vtentibus monachis Benedictinis. cum

alioqui nec ſoli Benedictini nigris vſi veſtibus reperiantur, ſed antiquiores etiam monachi eiuſdem coloris veſtibus more philoſophantium tegi conſuerint. Certe quidem monachos ſui temporis etiam nigra ſubucula vti conſueuiſſe, oſtendit illud S. Hieronymi [a] in Iouinianum: Tunc pexa tunica, & nigra ſubucula veſtiebaris.]

Sed videamus an grauiora ſint argumenta, quæ ſubijcis Sectione decimaquarta, qua S. Gregorium ad Benedictinos monachos reuocas duabus de cauſis. priori quidem quod ipſe vitam S. Benedicti integro libro ſcripſerit, quod in alijs Sanctis non præſtitit, addens peculiare eſſe, vt diſcipuli ſuorum magiſtrorum vitam conſcribant. Hæc cum dicis, prouoco ad ea, quæ de ſuo inſtituto Gregorius ipſe in exordio operis eſt præfatus: nimirum ea ſe ſcripturum, quæ (vt ait) a venerabilibus viris referentibus ſcribenda didiciſſet; adeo vt vbi plures fuerint relatores, & a quibus plura eſſent allata, de ijs copioſius ſcripſerit, non quod ex propoſito alicuius vitam inſtitueret enarrare. Sed & ſi ex inſtituto vitam S. Benedicti ſcripſiſſet, non magis idcirco dicendum, eius diſciplinæ monachum fuiſſe, quam S. Athanaſium Antonij, vel S. Hieronymum Hilarionis monachos fuiſſe dixerimus, eo quod eorum ipſi quoque vitam conſcripſerint. Poſteriori vero probare niteris argumento, quod S. Gregorius monachus fuerit Benedictinus, eo quod S. Benedictum ſummæ laudis titulis efferat, extollatq. præconijs, nempe cum vitæ venerabilis Benedictum vocat, eumq. re ait eſſe, quod nomine præ ſe ferret, vere Benedictum; quod religioſum ac pium, quodq. Patrem appellet, atque ſanctiſſimis viris comparet. Ceterum miror hac ex parte non animaduerſum abs te, inſignioribus titulis exornatum ab eo Equitium fuiſſe. Nam præter illos communes eius cum Benedicto titulos, de Equitiò hoc amplius habet ipſo ſuæ narrationis exordio, quod eum ſanctiſſimum nominet, & præditum magnitudine ſanctitatis: quæ de S. Benedicto dicta minime inuenies, vt neque, quod eumdem Equitium ſingulari laude reuerentiſſimum appellat.

At hæc non ita a me, vel a S. Gregorio dicta accipi velim, quaſi prætulerit S. Equitium Benedictò, ſed tantum, vt oſtendam tibi ipſi, quam fruſtra his argumentis nitare. Nec denique quod eumdem S. Benedictum patrem nominat, ſe mox filium illius profeſſorem Regulæ profitetur. Siquidem etſi ex relatione patris ad filium, tuum poſſet ſpeciem aliquam habere argumentum; tamen cum liqueat conſueſſe Gregorium patres nominare quoſlibet inſignes virtute monachos, vt [b] Honoratum, [c] Libertinum, [d] Nonnoſum, [e] Theodatum, [f] Eleutherium, [g] Anonymum Abbatem montis Præneſtini, [h] Spem, [i] Suranum, atque ipſum, de quo eſt ſermo, S. [k] Equitium: argumentum euaneſcit. Videamus autem an maioris ſint momenti, quæ ſubijcis.

Habes decimaquinta Sectione, quæ ſequitur, ex eo probari S. Gregorium fuiſſe ordinis S. Benedicti monachum, quod qui ab eo miſſi ſunt in Angliam monachi Auguſtinus & ſocij, ad Euangelium prædicandum, ordinis S. Benedicti fuiſſe dicantur. Fuit hoc argumentum Ioannis diaconi,

[a] Hier. adu. Iouin. lib. 2.

[b] Greg. dial. lib. 1. c. 1.
[c] Ibid. c. 2.
[d] Ibid. c. 7.
[e] Lib. 2. c. 1.
[f] Lib. 3. c. 14. 21. 33.
[g] Lib. 3. c. 23.
[h] Lib. 4. c. 10
[i] Ibi. 4 c. 23.
[k] Lib. 5. c. 4.

eoni; [a] qui primus post annos ferme trecentos auctor inuentus est & assertor monachatus S. Gregorij sub Regula S.Benedicti: si qui autem alij eius sententiæ inueniuntur (sunt enim quidam recentiores, quos tu nominas) ijdem omnes Ioannem diaconum auctorem sequuti videntur. vt tota vis argumenti in illo consistat, si probet, quod astruit. a Ioan.diac. vit. S Greg. lib.4. c 82.

Porro idem Ioannes, vt probet quod asserit, hac vtitur ratione: Quod in illis, inquit, partibus vix aliquem monachũ sit inuenire, a quo non obseruetur tam in proposito, quã in habitu Regula Benedicti.] hæc ipse. Sed quam debilis sit ista ratio, ex ijs, quæ superius sunt dicta, innotescit, cum scilicet est demonstratum, complura monasteria alterius ordinis monachorum seruandam postea suscepisse Regulam S.Benedicti: & adducti sunt in exemplum monachi Lirinenses, qui sub sancti Honorati Regulis prius constituti, in Benedictinos postea transiere. Vt autem idem dicamus de monachis Anglicanis, maiora nos admonent argumenta: illudq. in primis, quod toto etiam sequente sæculo, quod luculenta historia prosequutus est Beda, cum ab eo frequentissima mentio habeatur monachismi in Anglia iugiter propagati, nusquam tamen de S.Benedicto, vel de Benedictinis monachis vllus sermo; immo cum alium S. Benedictum Abbatem ab Anglis coli demonstret, nostrum Italum prætermisit. Extat ipsius Bedæ sermo de S.Benedicto Abbate Anglicano in eius natali pridie Idus Ianuarij dictus; in quo inter alia de vitæ monasticæ instituto ab eo tradito, cum agit de monasterio ab ipso erecto, hæc habet: Iuxta regularem disciplinam interius exteriusq. constituit; non pro captu suo decreta nobis statuens, sed antiquorum statuta certissima monasteriorum, quæ peregre didicerat, sibi suisq. obseruanda proponens.] & inferius: Nos namque sumus filij eius, qui nos in hanc monachiam demum pius prouisor induxit.] hæc & alia plura Beda. Qui quam male meritus esset de seniore nostro Italo S. Benedicto, si ab eo fuisset primum propagatus in Anglia monachismus, cum nec eius saltem nominis tota illa historia meminisset?

Insuper quid opus fuerat recentiori huic S. Benedicto Anglo diuersa monasteria in Italia & alijs prouincijs peragrare, vt monastica disceret instituta, quæ alios doceret; si iam ante centum annos allata fuerat per S.Gregorij monachos Regula S. Benedicti omnium vberrima & absolutissima? Venisse Romam eumdem S.Benedictum ex Anglia, tum dicto sermone testatur ipse Beda, tum etiam in [b] historia de rebus gestis Anglorum ostendit. Nec est, quod dicas, bellorum tumultibus collapsum fuisse in Anglia institutum ibi primitus monachismum, vnde opus fuerit Benedicto illi Anglicano petere aliunde monasticas Regulas. nam qui hoc dicit, sibi aduersantem Bedam habere non dubitet. Sic igitur post hæc tempora accidisse censendum est, quod Ioannes diaconus dicit, ita propagatos ordinis S.Benedicti monachos in Anglia, vt vix ibi alterius ordinis monachus esset, a quo non S.Benedicti Regula tam habitu, quam proposito seruaretur. b Bed. hist. Angl. lib 4. c. 18. & lib. 5. c. 20.

Ex his ergo cum firmum maneat, non alios, quam Gregorij mona-

chos in Angliam esse missos; ita nec alterius, quam sancti Gregorij monasterij monachos in Anglia ad illud vsque tempus propagatos; Benedictinos vero postea subinductos. Quod si contendis monachos S. Gregorij fuisse Benedictinos: iam prouoco ad disputatam pluribus de hoc capite quæstionem. Quod vero tardius, quam putes, in Anglia monachi obseruandam acceperint Regulam sancti Benedicti, id hac etiam ratione comprobatur euidentius: quod si Regula S. Benedicti iam a tempore S. Gregorij in Anglia innotuisset, ex cuius præscripto, quæ erant in Anglia monasteria, vitam monasticam excolerent: quid opus fuit S. Bonifacio Germanorum Apostolo, vt propagaret monachismum in Germania, illumq. optimis Regulis instrueret, mittere in Italiam ad Cassinense cœnobium Sturmi suum discipulum, vt ibi disceret, quod alios docere posset? Quid, inquam, opus fuit hæc quærere ab externis, si ijs domestici abundabant?

Insto amplius: Si a tempore S. Gregorij innotuisset S. Benedicti Regula apud Anglos, eademq, monachismo ibi florente præ manibus cunctorum fuisset: quid ab Anglicano monacho, ab ipso, inquam, Bonifacio, Anglicanum monachum Sturmi discipulum suum, sub regulari obseruantia S. Vuigberti educatum, Cassinum mitti oportuisset ad discendum, quod iam in patria a pueritia didicisset? Vixerat Bonifacius in Angliæ monasterio sub regimine S. Vuigberti viri sanctissimi, in cuius laudem duæ extant Bedæ homiliæ eius natali die dictæ, cuius hortatu prædicationem ad Gentes susceperat; de cuius obitu, & de bene disponenda monasterij cura extat [a] etiam Bonifacij ipsius epistola ad eiusdem monasterij monachos, inter quos vltimo loco ille censetur, qui ab ipso Cassinum legatus est ad S. Benedicti Regulas addiscendas. de qua quidem legatione Rudolphus [b] in vita S. Liobæ, quam fidelissime scripsit, hæc habet: Volens Bonifacius vtriusque professionis, monachorum scilicet & monacharum ordinem obseruari: idoneum vtique magisterium studuit adipisci, misitq. Cassinum montem Sturmi discipulum suum, virum genere & moribus nobilem, vt in monasterio, quod beatus pater Benedictus instituit, disciplinam regularem, & vitam, moresq. monasticos agnosceret, pastorq. futurus, discipulus fieret, atque in sua subiectione disceret, quomodo alijs præesse debuisset.] hæc Rudolphus, qui Rabani sui magistri præcepto hanc sanctæ Liobæ vitam scripsit.

[a] Annal. to. 9 an. D. 719. in fine.

[b] Apud Sur. to. 5. die 28. Septemb.

Si igitur (vt dictum est) in Anglia S. Benedicti Regulæ innotuerant; quid monachum iam veteranum ad illam addiscendã in cœnobio Cassinensi in Italiam mitti oportuit, eumq. ibi multo tempore commorari? Certe dici non potest, illuc missum veteranum monachum, vt instrueretur obseruantia regulari, quam ab ineunte ætate excoluisset; neque quod eiusmodi regularis obseruantia tunc in Anglia defecisset. Etenim tunc temporis magis floruit Ecclesia Anglicana monastica obseruantia, quam Beda, alijq. sanctissimi viri adhuc superstites summo studio custodiebant, atque ad exteros propagabant, vt ex eiusdem Bedæ scriptis apparet, nec non ex eiusdem S. Bonifacij ad suos Anglos litteris datis,

quæ

quæ recitantur Nono Annalium tomo. At nimirum, quod hactenus ignota fuisset in Anglia, S.Bonifacius nouella monachorum germina in Germania plantaturus, æmulans, secundum Apostolum, charismata meliora, vt ea Regula, quam Romæ cum esset, omnium perfectissimam a S.Benedicto conscriptam haberi didicerat, nouellos monachos informaret; illuc eum, qui disceret quod doceret, misit Sturmi discipulum, quem constituit primum Abbatem famosissimi monasterij Fuldensis a se erecti. Ex quibus omnibus redditur exploratum, nec viuente Beda, nec Bonifacio in Germaniam misso ex Anglia, adhuc in Angliam S. Benedicti Regulam allatam, receptamq. a monachis dici posse, nedum vt affirmari debeat, Benedictinos fuisse monachos, qui in Angliam a sancto Gregorio missi sunt, quod Ioannes diaconus falsa ductus coniectura primus asseruit, & alij ipsum incaute sequentes eodem cum ipso errore lapsi affirmarunt. sed quæ post hæc sunt allata duabus tuis reliquis Sectionibus videamus.

Vendicas tibi decimasexta Sectione traditionem ad probandum, sanctum Gregorium fuisse monachum Benedictinum; standumq. maiorum traditionibus, vt suadeas, multum laboras; cum magis in eo tibi fuisset insudandum, vt ostenderes hanc quam asseris, vere esse traditionem; quod si consequi potuisses, iam hac vna demonstratione rem ex sententia absoluisses. sed quam male abs te traditionis nomen vsurpetur, paucis ostendam. Illud traditione receptum asseritur, quod (vt docet Vincentius Lirinensis, & alij) nulla cogente scriptura, ab omnibus, semper, & vbique est custoditum, quod & superius dictum est. At quod a nullo, nusquam, a tempore S. Gregorij vsque ad Ioannem diaconum per trecentorum fere annorum spacium traditum inueniri potest: quonam pacto traditionem esse veterem, poteris affirmare? Quod autem ante Ioannem diaconum nulla de Benedictino Gregorij monachatu traditio antecesserit: inde certo cognosces, quod Ioannes ipse diaconus, eius rei primus assertor, nullam sibi vendicans traditionem, quæ non extaret, & sola ipsi satis fuisset; probationibus vndique destitutus, ad duas easdemq. exiles confert se coniecturas; quarum alteram male comparatam ex monachis Benedictinis a S.Gregorio in Angliam missis, iam proxime confutatam audisti; alteram ex pelliceo eius cingulo male deductam, iam iam pari in errore versari cognosces.

Quod autem ex depictis in vestris monasterijs S.Gregorij imaginibus cum insignibus S.Benedicti traditionem pariter tibi vendicas, traditionem infringis. nam quod non id factum ab omnibus, nec vbique, nec semper in Ecclesia Occidentali possit ostendi: non communem vsum ita pingendi S.Gregorium, sed priuatum vestrorum studium magis insinuas. Certe cum innumeræ reperiantur vbique pictæ venerandæ tanti Patris imagines, nusquam illæ nisi apud vestrates, & ipsæ haud adeo antiquæ, nec adeo frequentes, hoc schemate Benedictino ostendi possunt effigiatæ; cum in his, sicut in reliquis, S. R. E. consuetudo spectanda potius, ac seruanda fuisset, quæ numquam Benedictino habitu S.Gregorium pi-

ctum exhibuisse cognoscitur; sed habitu Pontificio cum reliquis Ecclesiæ Doctoribus indutum vbique repræsentare consueuisse, patet. Sit igitur ex his decimæsextæ tuæ Sectioni in omnibus satisfactum. iam vero quæ sequenti vltima Sectione habes, inspiciamus.

Vltima ista tua Sectione niteris multiplicium Scriptorum auctoritatibus demonstrare S. Gregorium monachum fuisse Benedictinum: qua in re antiquiorem Ioanne diacono nullum inuenisti, quem testem afferres. hic vero, qui (vt sæpius dictum est) post trecentos ferme annos a S. Gregorio vixit, cuius & quantæ sit fidei, vt dicas, te ipsum appello, qui iure redarguis eum,[a] quod dicat eumdem Gregorium ab Hilarione Abbate monasticum indumentum suscepisse. Sed alia, quæ tu ab eo dicta probas, an sibi constent, diligentius sunt examinanda. Enimuero Ioannes hic diaconus cum suo tempore, vt testatur, videret monasterium S. Gregorij a Græcis inhabitari; eos postea in illud irrepsisse, non autem illic ab initio a S. Gregorio institutos esse, probare instituens, duplici ratione id facere laborat:[b] altera vt ostendat Gregorium non calluisse Græcas litteras; altera vt doceat, ipsum fuisse Latinæ institutionis monachum S. Benedicti Regulæ professorem. Sed quod ad priorem, quantum ad Græcos spectat: facile potuit contigisse, vt vna cum Regulis S. Basilij, quæ tunc (vt dictum est) frequentiori in vsu apud Latinos erant, etiam aliqui Græcarum litterarum professores se miscuerint illis, vt in Maximiano Syracusano, qui præfectura eiusdem monasterij perfunctus est, viuente S. Gregorio, factum apparet. Nam Siculos eo, quod post tempora Iustiniani in illam vsque diem sub Græcorum Imperio vixerint, Græcis litteris vsos, veteres scriptores Siculi, vt Glicas, Petrus, Græci historici, & alij fidem faciunt. vnde facile accidere potuit, quod iuxta illud: In habentes symbolum facilis est transitus: ex eo quod S. Basilij Regulis S. Gregorij monasterium institutum potius existimetur, ad huiusmodi Græcos S. Gregorij monasterium transierit, & sic postea perseuerarit vsque ad Ioannis diaconi tempora, & non, vt a Latinitate in Græcitatē, necessitate (vt ait) potius quam voluntate sit cōuersum. Horum vero occasione dicere non prætermittā, in antiquioribus sedibus S. Equitij, in ipsa ciuitate Aquila vsque hodie perseuerare monasterium monialium tituli S. Basilij, & in eo eiusdē Regulæ obseruantiam, quod illud fuisse existimatur, cuius cum meminit S. Gregorius, sub cura S Equitij fuisse tradit: Quibus etiam appareat, S. Equitium subiectos sibi monachos ad eiusdem S. Basilij Regulas informasse, & S. Gregorium ab illis idem institutum didicisse.

Sed dum a Græcis idem Ioannes diaconus nititur auocare S. Gregorij monasterium, & transferre in Benedictinos: probare studet, S. Gregorium fuisse ordinis S. Benedicti, ac proinde ex Latinis. Inde autem argumentum ducit, quod cum venerandum eius corpus effossum fuit, inter alia indumenta cingulum inuentum fuerit, quo vti solerent monachi Benedictini, additque: Porro in exilitate balthei, quæ vnius pollicis mensuram numquam excedit, speciem propositi regularis olim a S. Benedi-

[a] Ioan. diac. vit. S Greg. lib. 1. c. 6.

[b] Idem lib. 4. c. 80. 81. 82.

cto statuti, cuius vitam ipse describens in dialogo, Regulam quoque laudauerat, eum seruasse luce clarius manifestat.] hæc Ioannes, cuius erat, illud quoque monstrare cingulum, quo alij diuersorum ordinum monachi vterentur tempore S. Gregorij, ab ea mensura & forma fuisse diuersum, vt ostēderet hanc peculiarem fuisse ordinis Benedictini: quod cum minime fecerit, nullius roboris ostenditur argumentū. Zona quidē pellicea vti consueuisse reliquos monachos, docuit Pachomius in Aegypto, Basilius in Oriente, in Occidente Cassianus in Gallijs, & Fulgentius in Africa: cū alioqui haud adeo certa zona, certaq. mensura eius a S. Benedicto in Regula præscribatur. Nam dum cōtigit ab eo numerari singula monachi indumenta, de zona siue cingulo verbum nullum. alibi vero dum monet, vt monachi vestiti dormiant, obiter dicit, vt cingulo, siue fune se cingant. Quonam autem horū altero tempore S. Gregorij Benedictini monachi vterentur, cum non sit certum (cum cuiusque arbitrio id S. Benedictus reliquerit, quorum altero vti vellent) certe ex cingulo nullum aliud deduci argumentum posse videtur, nisi quod S. Gregorius monachus esset. En vides quotupliciter Ioannes diaconus confutetur: quo cadente, reliquos omnes necesse est, qui eum secuti esse noscuntur, eadem ruina cum ipso iacere sepultos, recentes, inquam, illos, quos numeras, longa serie ostentans auctores. Nam ex antiquioribus haud est facile quemquam inuenire, cum neque id asserant scriptores rerum Cassinensium Leo Ostiensis, vel Petrus diaconus alumni eiusdem cœnobij Cassinensis.

3. At vero eumdem Petrum frustra tibi fauere putas, quem ista dicentē citas: Adeodatus, ac Stephanus nuper defunctus ex monachis fuisse leguntur, qui tamen gloriosissime Apostolicam Sedem gubernarunt; Gregorius ex monasterio raptus, ac violenter infulatus, non solum suas protulit, sed etiam aliorum dispositiones meliorare studuit.] hæc enim ex eo cum recitas, quid infers? Cum, inquis, pro certo habeatur, Adeodatum fuisse monachum Benedictinum, & Stephanum Benedictinum, Gregorius post eos nominatus a Benedictinis cur excludendus? Non est nostri modo instituti de aliorum, quam Gregorij monachatu differere. sed verum esto, quod dicis: vnde infers Gregorium Benedictinum fuisse, cum Petro illic non sit propositum Benedictinos tantum monachos, sed alios etiam cuiuscumque sint ordinis recensere? ita pariter id male deducis ex Bonifacio Papa Quarto, de quo in Apologetico dictum.

4. Post hæc destitutus antiquorum testimonio, ad recētiores & nostri sæculi Scriptores te conuertis, citans Polydorum Virgilium, nihil præterea addentem ad verba Ioannis diaconi, quē, vt liquet, absque veritatis peruestigatione sequutus est: post quem quinto loco ponis adhuc viuentem auctorem Arnoldum, cuius quanta sit in antiquitatibus fides, ex volumine, quod edidit de stemmate Aniciano, doctissimi, quique rerum antiquarum Critici intelligunt. Prætermittimus autem enumerare singulos nominatim recentiores, qui idipsum obiter absque aliqua rei discussione

testan-

testantes, cum plurimorum ne propositum quidem fuerit id constanter asserere, sed quod incideret occasio, vt Gregorij monachatus mentionẽ aliquam facerent, eum ex Ioannis diaconi assertione Benedictinum monachum fuisse scripserunt. Ita nobis de se est ingenue professus doctissimus Bellarminus, qui vbi hęc ipsa nostra vidit, atque laudauit, excusationem attulit, se verum existimasse, quod de S. Gregorio Ioannes diaconus testatus esset, cum de his sibi obiter agere contigisset. Quam pariter excusationem afferrent omnes, qui id litteris prodiderunt, si viuerent; nimirum se non per controuersiam ex professo disputasse, fuerit ne id verum an falsum; sed quod apud Ioannem diaconum se legere meminissent, id bona fide scripsisse, procul abhorrentes, vt aliquod scriptis suis allatum vellent præiudicium veritati. sufficiat igitur ista ad omnes huiusmodi abs te citatos vna responsio.

Ponitur demum abs te, quod recitas, sancti Gregorij Papæ nomine priuilegium, concessum monasterio Cassinensi, cum eidem præesset Bonitus Abbas, quem ordine quintũ a S. Benedicto numerat Leo Ostiensis.[a] quo quidem priuilegio disertis ferme verbis asseritur S. Gregorius monachus eiusdem ordinis. Ideoq. vltimo loco a te proponitur, quod, vt profiteris, satis superq. istud vnum sufficiat ad vniuersam dirimendam controuersiam; & cuncta, quæ a nobis in contrarium allata sunt, ipso eius tantum aspectu penitus conuellenda. Non præterierunt ista Baronium; immo vidit, & quam exactissima peruestigatione huiusce priuilegij singula verba discussit: excussit vero procul, vbi non germanum, sed omnino adulterinum, & in omnibus commenticium comperit, nec suis dignum iudicauit Annalibus: ita silentio sepultum relinquens, ne, si proderetur in lucem, imposturæ suæ putore, magno omnium vestrum dedecore, Lectoris nares offenderet. Sed quando tu illud, velut aliquid pretiosum e Cassinensi codice prodis, ac tamquam purum aurum profers: non nobis, sed tibi imputetur, si nos cogis inuitos tantam imposturam detegere, palamq. cunctis intuendam exponere, vnde tui erubescant, qui illud citant, retinent, fouent, atque defendunt. Verum quod sciamus, non esse vestrum inuentum, quod cum alijs superius confutatis commenticijs scriptis, ante centum ferme annos editum constat opera Laurentij Vicentini vestri ordinis monachi, qui primus illud vna cum alijs cudendum curauit, & illa omnia in antiquioribus codicibus se inuenisse testatus est: ab omni imposturæ suspicione vos penitus libero: quin etiam futurum spero, vt manifeste cognita veritate, constanti & ipsi animo aduersus falsitatem proditam & conuictam pro veritate certantes, omnes id genus execremini imposturas vna cum impostoribus. quod mihi quidem æquum est credere de religiosissimis viris, sanctissimi Patris filijs. De his igitur acturi, primum omnium ob oculos legentium exemplum recitati abs te priuilegij hic describamus, quo facilius, quale sit illud, quisque prudens valeat intelligere. sic enim se habet:

[a] Leo Ost. Chron. Cass. lib. 1. c. 2.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilecto in Christo filio,

Bonito

Bonito Abbati venerabili monasterij beati Baptistæ Ioannis siti in castro Cassini, eiusdemq; successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Quando ad ea, quæ Catholicorum Regum corda Pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio, diuina præueniente gratia, succenduntur, vt ab ipsis vltro poscantur: tanto alacri & læto sunt animo concedenda, quanto & ea ipsa cupiunt, si nollent facere, peti debuerunt. Proinde iuxta vestram petitionem pro amore, quem in COMMVNI PATRE ET MAGISTRO NOSTRO BENEDICTO, & in discipulis eius specialem & singularem gerimus, monasterio Cassinensi, quod nuper sub prædecessore nostro Pelagio a Longobardis est incensum, cui tu præesse dignosceris, huiusmodi priuilegium præsentis auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus, statuentes, nullum Regum, Antistitum, nullum quacumque præditum dignitate, vel quemcumque alium de his, quæ eidem monasterio a Patricio Tertullo, Equitio, & nobis donata sunt, vel in futuro a quibuslibet alijs de proprio fuerint iure collata, sub cuiuslibet causæ occasionis specie, minuere, vel auferre, & siue suis vsibus applicare, vel alijs quasi pijs causis pro suæ auaritiæ excusatione concedere. Sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te, quam ab alijs, qui in tuo officio, locoq. successerint, perenni tempore illibata, & sine inquietudine aliqua volumus possideri, eorum tantum vsibus, pro quorũ sustentatione, gubernationeq. concessa sunt, modis omnibus profutura.

Item constituimus, vt obeunte te Abbate suprascripti monasterij, non alius ibi quacumque præceptionis astutia ordinetur, nisi quem consensus monachorum secundum timorem Dei & patris Benedicti Regulam ordinauerit. Hoc quoque capitulo subiungimus, vt locum auaritiæ excludamus: nullum de Regibus, nullum de sacerdotibus, vel quemcumque alium per se, suppositamve personam, de ordinatione eiusdem Abbatis, vel quibuscumque causis monasterio ipsi pertinentibus audire . . . . siue aliqualibet specie commodi quidquam accipere. Neque eumdem Abbatem ordinationis suæ causa dare præsumere, ne hac occasione ea, quæ a Fidelibus pijs locis offeruntur, aut iam oblata sunt, consumantur. Et quia multæ occasiones in deceptione religiosarum personarum a prauis illic (vt dicitur) hominibus exquiruntur: Abbatem atque presbyterum dicti monasterij nullo modo priuandum, deponendumq. esse censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Vnde necesse est, vt si qua contra eum huiusmodi querela surrexit: Romanus Pontifex subtiliter hoc inuestigare procuret, quatenus canonicæ districtionis iudicante censura, aut reum ferire, aut innocentem possit absoluere.

Simili quoque definitione decernimus, vt nullus eorum, qui eidem monasterio Abbas fuerit ordinatus, direptiones de bonis ipsius ecclesiæ audeat facere, ne res monasterij iniqua erogatione consumens grauissimam egestatis necessitatem pauperibus, & peregrinis, vel ceteris exinde

de viuentibus generet. Episcopum verò tollendi de eodem loco monachum ad ecclesiasticum ordinem promouendum, vel alia quacumque causa sine consensu Abbatis atque Præpositi habere licentiam prohibemus, ne huius rei vsque ad hoc vsurpatio perducatur, vt loca, quæ acquisitione hominum construenda sunt, ablatione destruantur.

Hæc igitur omnia, quæ huius Præcepti nostri pagina cōtinet, tam tibi, quam cūctis, qui in eo, quo es, ordine, locoq. successerint, vel eis, quorum interesse potuerit, in perpetuum seruanda decernimus. Si quis vero Regum, sacerdotum, iudicum, atque sæcularium personarum hanc nostræ Constitutionis paginam agnoscens, cōtra eam venire tentauerit, potestatis, honorisq. sui dignitate careat, reumq. se diuino Iudicio existere de perpetrata cognoscat iniquitate. Et nisi vel ea, quæ ab illo male sunt oblata, restituerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleuerit; a a sanctissimo corpore & sanguine Dei Domini Redemptoris nostri IESV Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis eidem loco ista seruantibus sit pax Domini nostri IESV Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

EGO GREGORIVS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ego Ioannes Episcopus Surrentinus subsc.
Ego Agnellus Episcopus Tarracinensis subsc.
Ego Felix Episcopus Portuens. subscr.
Ego Fortunatus Episcopus Neapolitanus subscr.
Ego Primenius Episcopus Nuariæ subscr.
Ego Gloriosus Episcopus Ostiæ subscr.
Ego Albinus Episcopus Furniæ subscr.
Ego Mennas Telesinus subscr.
Ego Basilius Capuanus subscr.
Ego Constantius Nomentanus subscr.
Ego Montanus Souanensis subscr.
Ego Victor Fausinensis subscr.
Ego Ioannes presbyter tit. SS. Geruasij & Protasij subscr.
Ego Deusdedit presbyter tit. SS. Ioannis & Pauli subscr.
Ego Andromachus titul. Eudoxiæ subscr.
Ego Rusticus presbyter tit. S. Susannæ subscr.

Datum anno tertiodecimo Imp. domini Mauritij Tiberij perpetui Augusti, Consulatus eius anno vndecimo, tertio Nonas Octobris, Indictione quarta.] hactenus diploma, in cuius fine tu mutasti, vt loco Indictionis quartæ, supposueris quartamdecimam, qua licentia nescio. Nam si ex alio codice, certe lectio, quæ saltem per annos centum inualuit, relinquenda vel in margine erat, cum præsertim neque annus decimustertius Mauritij Imperatoris cum Indictione decimaquarta consentiat, neque Consulatus vndecimus eidem aptari possit, vt ex eodem Gregorio facile est demonstrare, qui Indictionem quartam cum dicto Consulatu vndecimo iungit in publicis monimentis, vt inferius ostensuri

ſuri ſumus, cum etiam, qua arte id ſit factum, pariter oſtendemus.

Audiſti, Lector, veritatis amator, Gregorij nomine diploma ſcriptū: an autem aliquo modo ſubſiſtat, rogo, vt audias; te ipſum enim iudicem appello. Atque primum omnium, quod ad conſignatum tempus dati priuilegij pertinet, quotupliciter inter ſe pugnet, cū datum dicatur anno decimotertio Imperatoris Mauritij, qui eſt annus Redemptoris quinquageſimus nonageſimusoctauus, cum quarta, quæ in eo ponitur, Indictione, quæ incidit in annum Chriſti ſexcenteſimumprimum, cum & Conſulatus vndecimus Mauritij ibi poſitus neque Indictioni, neque Imperij Mauritij anno conueniat, qui incidat in annum quingenteſimum nonageſimumſeptimum.

Sed quod turpius, ex quibus locis ſcriptorum ſancti Gregorij compilatum fuerit veluti per centones hoc diploma, operæpretium eſt vt intelligas. Falſitatis imprudens architectus, in primis ex priuilegio [a] ſancti Gregorij Papæ, conceſſo monaſterio ſancti Medardi in Gallia, inſtantibus Francorum Regibus, eius exordium tranſtulit, quod ſic ſe habet: Quando Catholicorū Regum corda ad ea, ad quę Pōtificalibus ſunt monitis prouocanda, ita ardenti deſiderio, diuina praueniēte gratia, ſuccenduntur, vt ab eis vltro poſcantur: tanto ſunt lætius concedenda, quāto ea ipſa, quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerunt.] hæc, inquam, extāt in priuilegio monaſterio ſancti Medardi a ſancto Gregorio conceſſo, petentibus (vt apparet) Francorum Regibus, quæ ſunt in dictum priuilegium datum Bonito tranſlata. De quo nihil eſt, quod dici poſſit, ſolitum principium commune eſſe ceteris eiuſdem generis inſtrumentis. Concedimus id in formulis conſuetis; at ſecus in alijs: vt hic perſpicitur, dum principium hoc (vt conferendo intelligere poteris) improprie & inepte prorſus, vtpote quod ad rem non ſpectet, impoſtor ille, quiſquis fuerit, tranſtulit in recitatum priuilegium, Bonito, vt videri voluit, Abbati Caſſinenſi conceſſum, cui nullatenus aptari poterat, vt dici poſſet, inſtantibus id Regibus conceſſum, vt habet illud ſancti Medardi, quod petentibus Francorum Regibus tributum fuiſſe diximus. Cum enim eo tempore ſumma rerum potiretur Mauritius Imperator: quibusnam inſtantibus Regibus potuit priuilegium eſſe conceſſum? certe non Longobardis, qui necdum Catholici erant, nec ibi regnabant, ſed vt hoſtes Eccleſiam infeſtabant, Vrbem ipſam obſidentes. Sic & inferius multa alia ex eo male deſumpta inuenies, ſi conferas vtrumque.

Idem dicendum de ijs, quæ idem appoſuit, aliquot ibidem ſubſcribentium Epiſcoporum nominibus, quę ex alijs publicis Actis auctor detegitur eſſe mutuatus, vt inferius demonſtrabitur. Quin etiam (quod valde mirandum) ipſum quoque Conſulatū & diem dati diplomatis accepiſſe cognoſcitur ex alio priuilegio conceſſo Probo Abbati monaſterij S. Andreæ, in cuius exordio iſta legūtur: [b] Anno Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimoprimo, eodemq. domno Mauritio vndecies Cōſule, ſub tertio Nonarum Octobrium.] ſed & Indictio quarta, quæ inferius in ijſdem Actis ponitur, & ex ordine epiſtolarum eius Indictionis oſtenditur, in illud

[a] Greg. Regiſtr. lib. 11. c. 32.

[b] Greg. lib. 9. ep. 22.

illud ipsum diploma translata noscitur; in quo tantum mutauit annos Christi in annos Imperatoris; errauit autem, vbi loco annorum salutis, decimumtertium posuit annum Mauritij Imperatoris. nam is annus Imperatoris non Indictione quarta, sed prima notatur, & non Consulatus vndecimo anno, sed duodecimo.

Mutuatus etiam est ex ijsdem Actis nomina quatuor Episcoporum subscribentium; sed plane accidit secundum illud Dauidicum: [a] In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.] siquidem subscribentes facit Fortunatum Episcopum Neapolitanum, & Agnellum Episcopum Tarracinensem, quos constat ante dictum annum Consulatus Mauritij vndecimum, & quartam Indictionem esse defunctos. etenim Fortunatum anno præcedenti, nempe Indictione tertia liquet esse mortuum: nam licet plures Gregorij epistolæ doceant eum ad Indictionem tertiam peruenisse; ex alijs tamen eiusdem epistolis, eadem tertia Indictione postea datis, [b] in quibus de successore subrogando agitur, iam illo ipso anno mortuus ostenditur. Sic & Agnellum Episcopum Tarracinensem, ad quem datæ nonnullæ epistolæ S. Gregorij leguntur, ex epistola ab eodem Gregorio data Indictione secūda, eadem [c] ipsa Indictione defunctum cognoscimus, cum de eadem ecclesia suo viduata pastore agat. vnde certum redditur, illum ante biennium diem obijsse, qui huic priuilegio subscripsisse confingitur. Vides ergo, Lector, cuius fidei sit priuilegium, cui præter alia incongrua, etiam mortui Episcopi subscripsisse inueniantur? Ista fortasse sentiens, qui illud citauit & recitauit, antiquam lectionem conuellens, loco quartæ Indictionis, quartamdecimā supposuit, cum tamen nec lectio sic detorta subsistere possit, quod anni Consulatus Mauritij, cum annis Imperij ibidem positis nullo pacto consentiant.

Quod autem, vt commenticium robores diploma, auctoritatem citas Petri diaconi, qui meminisse huius priuilegij videatur, dum defendens iura Cassinensis cœnobij sic scribit: [d] Cassinensi ergo cœnobio Romani Pontifices Gregorius Doctor, & alij CXII. idem permisere iudicium, & tulere decretum; vt defuncto Abbate, ex sua Congregatione Abbatem sibi eligant secundum timorem Domini & Regulam S. Benedicti.] At tantum abest, vt his Petri verbis probes illud diploma germanum esse, vt potius euidenter ostendas, nequaquam esse posse Gregorij. Nam cum testetur Petrus S. Gregorij esse decretum, vt ex Congregatione sua Abbatem eligant: in hoc falso diplomate nequaquam id (quod maioris momenti esse videbatur) positum legitur, sed illa tantum verba: Item constituimus, vt obeunte te Abbate supradicti monasterij, non alius ordinetur ibi, nisi quem consensus monachorum secundum timorem Dei, & Patris Benedicti Regulam ordinauerit.] in quibus nulla fit mentio de Abbate eligendo ex ipsa eiusdem loci Congregatione; qua potissimum mentione Petrus ad conuincendum altercantem aduersarium indigebat. Verum enimuero, quæ Petrus eo loco citat, ea ipsa sunt, quæ in germano sancti Gregorij omnibus monachis dato priuilegio scripta reperiun-

a Psal. 9.

b Greg. lib. 8. ep. 39. & 40.

c Id. lib. 2. ep. 13. & lib. 6. ep. 16. lib. 7. ep. 20.

d Pet. diac. ap Leon. Ost. lib. 4. c. 114.

reperiuntur: illo, inquam, quod depromptum ex bibliotheca Vaticana legitimum Baronius edidit in * Annalibus, in quo ista leguntur: Defuncto Abbate cuiusque Congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem Congregatione, quam sibi propria voluntate concors Fratrum societas elegerit.] Cum igitur citatum a Petro priuilegium non consentiat cum superius recitato abs te diplomate, quod illis maioris momenti careat verbis: plane conuincitur fuisse diuersum. Vides igitur, quam vere ad casum ipse potius impellas, quam sustentes quæ non subsistunt; cum ostendas magis illa esse falsa, quæ niteris vera monstrare? Sed licet hæc satis ad conuincendum falsitatis diploma, & plusquam satis esse noscantur: audi adhuc fortiora, quorum comparatione quæ sunt allata, quamtumlibet fortissima, debilia videri possint.

* Annal. to. 8. an. 602.

Quod enim datum dicitur priuilegium illud Bonito Cassinensi Abbati post incensum destructumq. cœnobium Cassinense, & in monasterium Lateranense iam translatos monachos: monstri simile videri debet, vt Bonitus Cassinẽsis Abbas, & non Lateranensis dicatur, & priuilegium non Lateranensi, quod extaret, sed Cassinensi, quod erat excisum, monasterio datum ponatur. Tu verò ad excusationem fingis, Bonitum ipsum, quoad vixit, Abbatem Cassinensem appellari maluisse quam Lateranensem. At cum (vt patet ex priuilegio) non Bonito tantum, sed eius quoque successoribus datum constet, Lateranensis certe cœnobij, cui successores Boniti præfuturi erant, ijdemq. dicendi Lateranenses Abbates (vt vere dicti sunt) mentio aliqua facienda fuerat, vt priuilegio comprehensi & non exclusi iudicarentur. Etenim quis dicere vmquam possit, datum a sancto Gregorio Papa priuilegium Abbatibus Lateranensibus, sibi inuicem successuris, & de Lateranensi cœnobio ab eo numquam in eo priuilegio habitam esse mentionem? non sic fatui erant, qui petebant, nec adeo insipiens, qui concedebat. Erat igitur tibi probandum, non Bonitum tantum dici (dum vixit) voluisse Cassinensem Abbatem, sed monasterium etiam Lateranense, Cassinense appellatum fuisse, & Bonito succedentes eiusdem monasterij Abbates, non Lateranenses, sed Cassinenses nominatos. sed nec id quidem satis: nam hoc ipsum in dicto priuilegio fuerat exprimendum ab ipso, qui dabat, Gregorio summo Pontifice.

Demum vero, vt moras præcidam, & te, Lectoremq. ab omni prorsus dubitatione liberem: irrefragabilem accipe de impostura manifestissima rationem. Quomodo potuit ista concessisse Bonito Abbati Cassinensi S. Gregorius, si ex tua, tuorumq. assertione longe ante dati notã priuilegij, constat eumdem Bonitum esse defunctum? Nam siue ponas (vt habet) decimotertio Mauritij Imperatoris anno, qui est Redemptoris quingentesimus nonagesimusoctauus, siue (vt in eodem legitur) anno vndecimo Consulatus eiusdem, qui est annus salutis quingentesimus nonagesimusseptimus, siue quarta Indictione, qui est annus sexcentesimus primus: tamen ex tua etiam assertione ante datum dictum priuilegium liquet defunctum esse Bonitum, quem tu ipse asseris ex hac vita

 migrasse

migraſſe anno quingenteſimo nonageſimoquinto. Ceterum adhuc longe
ante abs te definitum tempus obitus Boniti, ipſum eſſe defunctum, ex ve-
ſtra pariter ſententia, neceſſaria demonſtratione comprobamus. Nam ſi
quo tempore ſcripſit ſanctus Gregorius dialogorum libros, erat an-
nus quartus eius Pontificatus, vt eius teſtimonio liquet, & tu ipſe
confiteris, isq. annus erat Redemptoris quingenteſimus nonageſi-
mustertius; atque eo tempore non ſolum Bonitus non erat ſuperſtes,
ſed neque ſucceſſor eius Valentinianus, cui poſt Fauſtum in Mauro
a Leo lib. 1. c. 3. Leo [a] Oſtienſis ponit Theodorum ſucceſſiſſe, quem a Bonito tertium
Lateranenſis cœnobij Abbatem Leo numerat, & tu minime inficiaris:
Si, inquam, ante quartum annum Gregorij Pontificatus nec tertiū Bo-
niti ſucceſſorem Theodorum qui multis annis monaſterium Lateranen-
ſe rexit, conſtat fuiſſe ſuperſtitem: quanto temporis interuallo ante Pon-
tificatum ſancti Gregorij oportuit defunctum eſſe Bonitum, cui a ſan-
cto Gregorio datum aſſeritur priuilegium? Quæ omnia cum ex veſtra
de Abbatum temporibus aſſertione, ipſorumq. ſucceſſionibus ſint de-
prompta, quomodo poteritis confutare?

Ex his tu modo percipe, Lector, (vt hoc obiter tangam) quantope-
re Bellottus cæcutiens erret, dum primum præfuiſſe monaſterio Caſſi-
b pag. 170. v. 23. & pag. 185. v. 18. nenſi Bonitum Abbatem aſſerit, [b] anno quingenteſimo ſeptuageſimo-
octauo, quo exciſum eſt a Longobardis; creatumq. anno (vt [c] ait) quin-
c ead. pag. v. 16. genteſimo ſexageſimonono; quem & perueniſſe vult vſque ad quartum
annum Pontificatus ſancti Gregorij. ſunt enim hæc eius verba: [d] Poſt
d pag. 168. v. 23. hunc Bonitus, qui viuebat eo tempore, quo Gregorius extremam ma-
num impoſuit dialogis, vt ex diplomate immunitatis ei conceſſæ con-
e ead. pag. v. 32. ſtat.) eſt is annus quingenteſimus nonageſimustertius. [e] ex quo infe-
rius colligit, ipſum præfuiſſe Caſſinenſi primum, deinde Lateranenſi, an-
nos ferme viginti quatuor. ſic omnia ſcilicet pro arbitrio concinnans,
vt oſtendat verum eſſe priuilegium Gregorij, quod ipſi inſcriptum eſt,
donationemq. Gordiani, quam ſuperius confutauimus, legitimam fuiſ-
ſe confirmet. Sed ſi ad illud tempus dialogorum ſcriptionis vult perſe-
ueraſſe Bonitum Abbatem: vbi locus Valentiniani, quem S. Gregorius
longo tempore tradit præfuiſſe monaſterio Lateranenſi? Vbi locus
Theodori? Quando, inquam, Valentinianus præeſſe potuit? quando
Theodorus, ſi totum tempus illud vſque ad ſcriptionem dialogorum
Bonitum occupaſſe fateamur? Intelligat igitur totum id quod de Bonito
dicit, aduerſari ſancto Gregorio, aduerſari Fauſto, cuius ſententia,
ſi alius a Bonito tunc præerat monaſterio Caſſinenſi: vtique euaneſcit,
quod a vobis aſſeritur, Bonito illud a ſancto Gregorio priuilegium fuiſ-
ſe conceſſum.

Bonitum igitur, ſub quo omnes affirmant dirutum fuiſſe a Longo-
bardis Caſſinenſe cœnobium, haud diu oportuit ſuperuixiſſe in Late-
ranenſi, ad quod tranſlatus eſt, monaſterio, poſt quē eidem a ſancto Gre-
gorio longo tempore præfuiſſe dicantur Valentinianus, & poſt eum Sim-
plicius, tertius Theodorus, quem (ait Fauſtus) prolixiori tempore eidem

præfe-

præfectū fuisse, ita vt numerãdo a Bonito Valentinianus dicatur secundus, Simplicius tertius, Theodorus quartus, qui (vt idem ait Faustus) post Valentinianum tertius præfuisse dicatur eidem monasterio Abbas. Quomodo ergo post hos potuit perseuerasse Bonitus, qui defunctus eos habuit successores? Quod si etiam ab horum numero excludas Simplicium, remanet Valentinianus, quem ipse sanctus Gregorius affirmat longo tẽpore præfuisse monasterio Lateranensi; remanet Theodorus, quem prolixiori tempore eidem præfuisse, Faustus affirmat. Videtis igitur, quot argumentis, atque in primis, quam manifesta sancti Gregorij & Fausti assertione idem a vobis recitatum diploma priuilegij apertissimæ conuincatur imposturæ, & monstruosæ deformitatis & falsitatis.

Quibus detectis, non teipsum tantum N. compello, sed omnes reuerendos patres sanctæ Congregationis Cassinensis ingenuos professores, tanti patris sobolem honestissimam, sinceræ veritatis cupidissimam appello. e loco sancto, vt sanctior perseueret, euerrite quisquillias istas, quæ munda reddunt immunda, & integerrimæ existimationi vestræ plurimum detrahunt. Exurgite vindices veritatis; zelus aliquorũ non secundum scientiam per vos ad veritatis scientiam reuocetur. Ceterum quod ad sanctum Gregorium spectat, facessat inuidia, exulet venenosa discordia, contentionem istam charitas dirimat, vt idem Pater sanctissimus pastor omnium, totus vester, totus noster, totus omnium sit, nec minus totus omnium, & singulorum, quam totus vester, secundum quod dicit S. Apostolus: [a] Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas (addam secure) siue Gregorius; vos autem Christi, Christus autem Dei. Vt sic Deus omnia existens in omnibus, sit ab omnibus semper benedictus in Benedicto & Gregorio & omnibus Sanctis semper. Amen. a 1. Cor. 3.

FINIS.



Regeſtum

A B C D E F G H I K L M N O P.

Omnia ſunt folia integra.

R O M AE,

Ex Typographia Vaticana. M D C I I I I.

SVPERIORVM CONCESSIONE.

